BREVIA APOSTOLICA CONGREGATIONI PATRUM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ CONCESSA

Congregazione della dottrina cristiana

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
4 H
7

13-1.C.53

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIA
APOSTOLICA
CONGREGATIONI
PATRUM
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
CONCESSA.

Ex Libris PP. Doc. Xnæ



Collegij Urbevetani 1749.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCXLIX.

Ex Typographia Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIA APOSTOLICA CONGREGATIONI PATRUM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ CONCESSA.

Ex Libris PP. Dñg Xñe Collegij



Urbevetani 1749.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCXLIX.
Ex Typographia Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVE
CLEMENTIS VIII.

Datum die XXIII. Decemb. An. MDXCVII.

PRO

Erectione, Gubernio & Privilegijs Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXpoſcit debitum noſtri Paſtoralis officii, ut in eam curam noſtræ ſollicitudinis partes intendamus, per quam Chriſti fidelibus ad Chriſtianam Doctrinam addiſcendam via facilior aperitur, ita ut in ipſis hujuſmodi Doctrina imbutis, in dies creſcat Divinorum obſervantia Præceptorum. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnulli pii Chriſti fideles Avenione commorantes, pro alijs Chriſti fidelibus in his quæ ad ſalutem ſunt juvandi deſiderio ducti,

Digitized by Google

& conſiderantes in his Hæreticorum & Schiſmaticorum tenebris non ſolum pueros teneros in Doctrina Chriſtiana educandos, ſed & homines provectos & natu majores hujuſmodi Doctrinæ Chriſtianæ rudes, in illa inſtruendos eſſe, ab anno Domini 1592. autoritate Venerabilis Fratris Joannis Franciſci Epiſcopi Cavallicenſis tunc in Civitate noſtra prædicta Avenionenſi Vicelegati, ut pio hujuſmodi exercitio vacarent, & in vinea Domini fructus aliquos producerent, quandam inter ſe Congregationem ad Chriſtianam Doctrinam rudibus edocendam inſtituerint. Cujus Congregationis fideles poſtea, dilecti filii noſtri Franciſci Mariæ ſancti Bartholomæi in Inſula Presbyteri Cardinalis, tuncque Eccleſiæ Avenionenſis ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica Præſulis ope & favore adjuti, in Eccleſia ſanctæ Praxedis Avenionenſis, & aliis quibuſdam locis Comitatus noſtri Venayſſini hucuſque opus hujuſmodi continuarunt, & adhuc magno cum fructu in illo perſeverant.

Cum autem, ſicut idem Franciſcus Maria Cardinalis Nobis nuper expoſuit, meſſis multa ſit, operarii verò pauci, ſintque ad tantum opus peragendum plures & diverſæ perſonæ, & aliqui redditus annui pro earum ſuſtentatione neceſſarii, ipſaque Congregatio nullos omnino redditus habeat, eleemoſinæ autem, refrigeſcente charitate, ita raræ ſint, ut vix ad trium vel quatuor ſuſtentationem ſufficere poſſint; Et ideo, ſi autoritate Apoſtolica hujuſmodi Congregatio perpetuò inſtitueretur, in quam homines in timore Domini enutriti tùm Eccleſiaſtici, tùm Laici in continentia vitam ſuam ducere proponentes, qui huic exercitio ſingulis Feſtivis, & Dominicis, & aliis, ſi opus eſſet diebus, invigilarent, reciperentur, ex hoc profectò pio operi prædicto admodum conſultum eſſet: Quare idem Franciſcus Maria Card. Nobis humiliter ſupplicavit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos,

Digitized by Google

Nos, qui piis operibus noſtri favoris præſidium libenter impartimur, ſingulares dictæ Congregationis perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Congregationem prædictam, ut præfertur, erectam, autoritate Apoſtolica tenore Præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, ſeu quatenus ritè erecta non fuerit, de novo unam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ nuncupandam in Civitate prædicta Avenionenſi (in quam cujuſvis ſtatus, & conditionis, probatæ tamen vitæ homines, dummodò in continentia vivendi firmum propoſitum habuerint, recipi poſſint, qui ſingulis Feſtis, Dominicis, ac aliis & cum opus fuerit, diebus in Eccleſia ſancti Joannis veteris nuncupati, Civitatis noſtræ Avenionenſis ad hoc opus per nos inſtituta & deſignata, aut aliis Eccleſiis ſeu locis per loci Ordinarium ad hoc deſignandis, pueros ac alios cujuſvis ætatis Chriſtianæ Doctrinæ ignaros congregari faciant, ibique eoſdem bonis moribus, & ſana hujuſmodi Doctrina imbuant, & in Articulis Fidei inſtruant, eoſque in viam Mandatorum Domini & Eccleſiæ dirigant & confirment: Presbyteri verò à locorum Ordinariis ad id approbati Confeſſiones audire, verbum Dei prædicare, & ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis adminiſtrare poſſint: Quæſtus verò ex Laicorum prædictorum labore & induſtria provenientes cum cæterorum redditibus ex Clericorum eorumdem beneficiis Eccleſiaſticis ac patrimonis, ſi quæ habeant, provenientibus in arca communi reponantur, ut exinde habeant quo ſuſtentari poſſint, *Eligaturque in hujuſmodi Congregatione unus ex dictis Presbyteris,* *qui*

Erectio Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ.

Gubernium ejuſd. Congregationis.

Digitized by Google

qui Caput & Superior ſit, cuique reliqui obedire teneantur tam in dicta Civitate Avenionenſi, quam aliis locis quibuslibet vicinis,) Apoſtolica autoritate, tenore præſentium erigimus, & inſtituimus; ac Eccleſiaſticis & aliis nunc & pro tempore exiſtentibus dictæ Congregationis perſonis, quæcumque ſtatuta, & ordinationes, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non contraria, ac proſperum dictæ Congregationis ſtatum concernentia, ab Ordinario loci poſtea approbanda, condendi, & condita, quando opus fuerit, de dicti Ordinarii licentia mutandi, aliaque ad id neceſſaria & opportuna faciendi licentiam & facultatem tribuimus.

Privilegia ejuſd. Congr.

Ut autem dictæ nunc & pro tempore exiſtentes hujus Congregationis perſonæ piis operibus promptius vacare ſtudeant, & Chriſti fideles ad dictam Congregationem ingrediendam magis invitentur, quo ex hoc dono gratiæ cœleſtis conſpexerint ſe uberius eſſe refectos; de omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejus autoritate confiſi, *omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis*, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur, die eorum ingreſſus, (ſi vere pœnitentes & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint,) plenariam; & in cujuslibet eorum mortis articulo, (ſi pariter verè pœnitentes & confeſſi, ſacraque Communione refecti fuerint; vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem verè contriti, nomen JESU ore vel corde devotè invocaverint) etiam plenariam, ac tàm ipſis jam deſcriptis & in dicta Congregatione deſcribendis, quàm aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſanctiſſima Communione refectis, qui prædictæ Congregationis Eccleſiam vel Capellam in Feſto Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem Feſti, ſingulis annis devotè viſitave-

tave-

Digitized by Google

taverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper eiſdem nunc & pro tempore exiſtentibus in dicta Congregatione deſcriptis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Eccleſiam vel Capellam in ſecundo Paſchalis Reſurrectionis, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, & Epiphaniæ Domini feſtivitatibus à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis feſtivitatum hujuſmodi piè viſitaverint, & ibi ut præfatur, oraverint, ſeptem annos & totidem quadragenas, quoties verò Doctrinam Chriſtianam, ut præfatur, docuerint, aut Miſſis & aliis divinis Officiis in dicta Congregatione pro tempore celebrandis & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Congregationis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem cum inimicis propriis vel alterius compoſuerint, ſeu componi fecerint vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tàm in Congregatione deſcriptorum, quàm aliorum ad ſepulchrum aſſociaverint, & quaſcumque per ipſam Congregationem Proceſſiones, de licentia Ordinarii faciendas, dictumque ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tàm in Proceſſionibus, quàm ad infirmos aut alias ubicumque, & quòcumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut campanæ ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro animabus defunctorum in dicta Congregatione deſcriptorum Chriſti fidelium recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta ea quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta rela-

xamus.

Digitized by Google

xamus. Præſentibus pro deſcriptis in Congregatione prædicta perpetuò, pro non deſcriptis verò Chriſti fidelibus, ad decennium dumtaxat valituris.

Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XXIII. Decembris M.D.XCVII. Pontificatus noſtri anno ſexto.

M. Veſtrius Barbianus.

BREVE
PAULI V.

Datum die XI. Aprilis An. MDCXVI.

PRO

Unione Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, cum Somaſchis.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio ad ea per quæ piorum hominum Congregationes in militanti Eccleſia, præſertim ad Legem Chriſtianam rudibus exponendam, providè, ſanctèque inſtitutæ, majoribus in dies proficiant incrementis ſedulò intendimus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt *Dilecti Antonius Vigerius Præpoſitus*, *ac Clerici ſæculares Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ* in Civitate Avenionenſi Canonicè inſti-

Digitized by Google

inſtitutæ, quod ipſi fœliciori ejuſdem Congregationis ſtatui & augumento conſulere volentes, eandem Cogregationem Congregationi Clericorum Regularium Somaſchæ, alias S. Majoli Papienſis, per nos uniri & incorporari deſiderant; & propterea infraſcripta Capitula cum dilectis etiam filiis Præpoſito & Clericis Regularibus dictæ Congregationis Somaſchæ ſtatuerunt, quæ à Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotiis regularium Præpoſitis recognita & approbata fuerunt, tenoris ſubſequentis, videlicet.

Conventiones pro unione.

Conventiones firmatæ & ſtabilitæ inter Clericos regulares Congregationis de Somaſcha, & Patres Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Regno Galliæ, pro unione facienda utriuſque Congregationis. Quod quidem negotium à ſanctiſſimo Domino noſtro fuit commiſſum ſacræ Congregationi Illuſtriſs. Dominorum Cardinalium negotiis Epiſcoporum & Regularium Præpoſitorum.

In primis igitur Doctrinæ Chriſtianæ Patres, eorumque ſucceſſores in perpetuum ſuum retinebunt Inſtitutum docendi Doctrinam Chriſtianam, parvam, mediocrem, & magnam, juxta laudabilem eorum conſuetudinem, quam inviolabilem ſervabunt, & in his Domibus, quas nunc poſſident, & in his quas in-poſterum poſſidebunt in toto Regno Galliæ.

2° Reverendus Pater Cæſar de Bus, *vir pietatis eximiæ*, Congregationiſque Patrum Doctrinæ Chriſtianæ in Regno Galliæ primus Parens & Inſtitutor, habeatur in Religione pro Autore, ut revera fuit, hujus ſanctiſſimi Inſtituti Doctrinam Chriſtianam in dicto Regno Galliæ populos edocendi.

3° Patres Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia vocari deinceps poſt factam unionem debebunt Patres Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Somaſchæ, ſeu S. Majoli Papienſis, & privilegia omnia erunt communia.

4° Sub obedientia vivent Præpoſiti generalis de Somaſcha, qui ſemel ſingulis Trienniis per ſe vel per alium ab eo deſtinandum eos viſitabit. Cæterum eorum regimen & gubernatio in toto Regno Galliæ in domibus tàm acquiſitis quàm acquirendis, ſit penes ſuperiores Gallos; & Provincialis ſimiliter Gallus eligendus per Capitulum generale de Somaſcha eis conſtituatur, qui quidem erit unus ex duobus vel tribus Patribus nominatis ſive propoſitis a Capitulo Provinciali ipſius Provinciæ Galliæ, tempore debito congregato.

5° Cujus Provincialis authoritas erit, de loco ad locum perſonas mutare; Novitios per ſe vel per locorum Superiores ad profeſſionem admittere, non obſtantibus &c. Concionatoribus concionandi facultatem concedere dummodo ab Epiſcopis locorum licentiam ſeu benedictionem ad formam Concilii Tridentini obtineant; & alia facere, quæ Viſitatoribus dictæ Congregationis Somaſchæ conceduntur. In reliquis autem tanta ſit ejus authoritas, quanta a Capitulo Provinciali concedetur eidem; debebit tamen Præpoſitum generalem ubi commodè poterit conſulere, vel ſaltem de ſingulis magni momenti rebus certiorem facere. Provincialis, ſtatim atque erit electus, cenſeatur eſſe, & ſit ipſo facto de gremio Capituli generalis, in quo vocem activam & paſſivam habeat, non obſtantibus &c. Ejus officium per Triennium durabit. Ad Capitulum generale cum accedet, Socium unum ſive Diſcretum antea à Capitulo Proviuciali electum deducet, qui quidem Socius in Capitulo generali interveniet cum utraque voce.

6° Quod ſi contingat Provincialis obitus, eo caſu Superior profeſſione ſenior cenſeatur electus.

7° Ad Capitulum Provinciale ſpectabit, cum majori parte votorum, nova loca, prævio tamen Epiſcoporum conſenſu, & ſervata forma Clementis Octavi, recipere;

rece-

Digitized by Google

recepta deferere; ſuperiores locales eligere vel deponere; reos, ſi qui erunt, punire, aut innocentes abſolvere; curam Monialium ordinariam pro confeſſionibus audiendis, de conſenſu & licentia eorumdem Epiſcoporum, recipere, bona in univerſum in toto Regno Galliæ ipſi Congregationi relicta, alicui loco particulari aſſignare; Novitios Quadrageſimum annum excedentes, vel qui alterius Religionis habitum habuerint, & debitam tranſeundi facultatem a Sede Apoſtolica obtinuerint, ad probationem admittere; exemptiones diuturnas, maxime ſenibus & ſtudentibus, ad tempus non autem perpetuò & ex cauſa impertiri; locum pro Capitulo Provinciali proximè congregando determinare.

8° Inſuper Capitulo Provinciali, quod menſe Septembris præcedente Capitulum generale convocandum erit, præter provincialem, intereſſe debebit quilibet ſuperior localis una cum Socio ſeu Diſcreto a Capitulo conventuali ejuſdem loci, dummodo ſex ſaltem ibi reſideant, eligendo. Quare pro parte primodictæ Congregationis fuit nobis humiliter ſupplicatum, quatenus unionem & incorporationem hujuſmodi facere, ac alias in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos piis prædictorum Clericorum votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & poenis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodo libet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; de eorumdem Cardinalium conſilio, dictam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ in Civitate Avenionenſi inſtitutam, Congregationi Somaſchæ prædi-

Unio Congr. Doctr. Chriſt. cum Somaſchis.

dictæ, (ita ut unum corpus Congregationis efficiant, ac Clerici dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Regulas & Conſtitutiones ſecundòdictæ Congregationis Somaſchæ ab Apoſtolica ſede approbatas ſervent & profiteantur, nec non Capitula prædicta adimpleantur & etiam ſerventur, ſalvis tamen limitationibus & modificationibus infradictis. Videlicet quod Provincialis præfatus exemptiones diuturnas hujuſmodi nonniſi, ex cauſa alicujus impedimenti, concedere poſſit aut debeat,) Apoſtolica authoritate, *Tenore præſentium, perpetuò unimus & incorporamus; Nec non cum dicto Antonio, ut infra quatuor menſes a die cœptæ probationis numerandos, integro non expectato probationis anno, profeſſionem per dictos Clericos Congregationis ſomaſchæ hujuſmodi emitti ſolitam, expreſſæ emittere liberè & licitè valeat, authoritate, & tenore prædictis indulgemus, ac cum eodem deſuper diſpenſamus; Cæteros verò primodictæ Congregationis Clericos antequam profeſſionem hujuſmodi emittant, annum probationis integrè complere debere; ac Clericos ſecundodictæ Congregationis in Galliam pro inſtructione dictorum Presbyterorum mittendos, in ſtatu Eccleſiaſtico Regni Galliæ locorum Superiores, etiamſi non ſint Galli, eligi poſſe ſtatuimus.*

Decernentes præſentes litteras validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios effectus & integros ſortiri & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate, ſcienter aut ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac utriuſque Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis

gulis

Digitized by Google

gulis eorum, omnium tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut præſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die undecima Aprilis, ann. milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, Pontificatus noſtri anno undecimo.

S. Cobellutius.



BRE-

Digitized by Google

BREVE
GREGORII XV.

Datum die 11. Junii An. MDCXXI.

PRO

Facultate docendi publicè in Collegiis.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſitum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Auguſtini Froſconi, Procuratoris Generalis Presbyterorum Congregationis Somaſchæ alias Sancti Majoli Papienſis, quod presbyteri ejuſdem Congregationis, juxta pium & particulare illius Inſtitutum, in multis Seminariis, Academiis & Scholis publicis, Grammaticam, Rethoricam, Logicam, Philoſophiam, Mathematicam, ſacram Theologiam, Caſus conſcientiæ, Doctrinam Chriſtianam, & ſacram Scripturam docere conſueverunt: cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Procurator plurimum cupiebat Inſtitutum hujuſmodi Apoſtolicæ confirmationis robore, ut infra, communiri; Nobis propterea, totius Congregationis prædictæ nomine, humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictæ Congregationis votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum

S.R.E.

Digitized by Google

S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Conſilio, *Inſtitutum prædictum pro univerſis dictæ Congregationis locis ac domibus, maximè in Regno Galliæ exiſtentibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.*

Collegiorum regimen approbatur.

Decernentes præſentes litteras validas, firmas & efficaces, exiſtere, & fore, dictiſque Presbyteris in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut præſentium tranſumptis impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die ſecunda Iunii An. Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, Pontificatus noſtri anno primo.

S. Card.

BRE-

Digitized by Google

BREVE
INNOCENTII X.

Datum die xxx. Julii An. MDCXLVII.

PRO

Diſſolutione unionis & Statu Congregationis in poſterum.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

COmmiſſi nobis a Domino Paſtoralis officii ratio poſtulat, ut in his Apoſtolicæ noſtræ ſollicitudinis partes propenſis ſtudiis interponamus, per quæ Chriſti fidelium quorumlibet, præſertim Chriſtianæ pietatis & charitatis operibus, ad procurandam ſuam & proximi ſalutem jugiter vacantium, fœlici ſtatui opportunè conſuli cenſemus. Cum itaque, ſicut accepimus, alias tempore Pontificatus fœlicis recordationis Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, in civitate noſtra (tunc ſua) Avenionenſi, una pia diverſarum perſonarum tàm Laicarum quàm Eccleſiaſticarum ſæcularium Congregatio ſub invocatione ſeu denominatione Doctrinæ Chriſtianæ gubernioque & directione nonnullorum Presbyterorum ſæcularium proborum & idoneorum, authoritate ordinaria inſtituta; Congregationiſque hujuſmodi ſic inſtitutæ peculiare inſtitutum Catechiſmum, præcipuè plebem & rudes perſonas docendi, continenterque vivendi; ipſaque Congregatio a Sede Apoſtolica

ſtolica approbata & confirmata variiſque Indulgentiarum aliarumque gratiarum ſpiritualium muneribus decorata, reſpectivè fuerit; famâque pij inſtituti hujuſmodi per Regnum Franciæ divulgatâ, nedum Inſtitutum præfatum in Provinciæ nuncupatæ, ſed & in alias ejuſdem Regni Provincias, perſonis dictum Inſtitutum amplexis, Catechiſmum ſivè Doctrinam Chriſtianam, parvam, mediocrem, & magnam docentibus, Confeſſiones Sacramentales audientibus; infirmos, hoſpitalia, carcereſque & carceri mancipatos viſitantibus, pagoſque perluſtrantibus, & Catecheſim habentibus tàm in Eccleſijs privatiſque Magnatum ædibus, in quibus copioſus eſt famulorum numerus, quàm cum peregrè ibant, longè latèque, benedicente Domino, ſe ſe diffuderit; & exinde cum Congregatio hujuſmodi, formam regularis potiùs quàm ſæcularis inſtituti accepiſſe videretur; recolendæ memoriæ Paulus Papa V. etiam Prædeceſſor noſter, Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ præfatam, Congregationi Clericorum Regularium Somaſchæ, aliàs ſancti Majoli de Papiâ nuncupatæ, per quaſdam ſuas in ſimili formâ brevis litteras de anno 1616. emanatas, debitæque executioni demandatas, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, Apoſtolicâ authoritate univerit, annexuerit & incorporaverit; ipſaque Congregatio Doctrinæ Chriſtianæ, ſic eidem ſecundòdictæ Congregationi unita, & incorporata, multos Religionis zelo ductos ad illius habitum Regularem, & profeſſionis emiſſionem admiſerit, ac complures Domos, Collegia, aliaque loca regularia acquiſiverit: ab aliquot verò annis nonnulli ex dictæ Doctrinæ Chriſtianæ Clericis, unionem præfatam tanquam invalidè, ſubreptitièque factam, varijs ex cauſis, & præſertim occaſione prætenſæ nullitatis mandati, ſeu mandatorum Procuratoriorum, cujus ſeu quorum vigore, ſeu prętextu, unio præfata ſic facta fuit, necnon ratione executionis litterarum Apoſtolicarum ſuper unione hujuſmodi expeditarum, profeſ-

Dubia orta circa unionem.

feſſioniſque per quemdam Antonium Vigerium, & nonnullos alios in eâdem Congregatione Doctrinæ Chriſtianæ emiſſæ, & electionum illius Superiorum, ſuper quibus certa decreta emanarunt, impugnaverint; eâque de causâ pro dubiorum hujuſmodi reſolutione, dictæque unionis diſſolutione, dilecti filij Antonius Rouſſeau, & Jacobus Bauvais, Presbyteri primòdictæ Congregationis hujuſmodi expreſsè profeſſi, illius nomine ad Almam Urbem noſtram acceſſerint.

Idcircò Nos ad uberes fructus, quos ijdem Clerici Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ hujuſmodi in vineâ Domini in dies afferre noſcuntur, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, ipſorumque commodis eſſe cupientes, ex Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs Regularium Præpoſitorum, quibus hoc negotium diſcutiendum, examinandumque commiſimus, ſententiâ per eos nobis in conſiſtorio noſtro ſecreto relatâ, *motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, merâque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas controverſias, & lites ſuper primòdictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Unione*, & incorporatione aliàs eidem ſecundòdictæ Congregationi, ut præfertur, factâ, coram iiſdem Cardinalibus & quibuſvis alijs tribunalibus quomodolibet motas, & adhuc indeciſas pendentes, ab eiſdem Cardinalibus & alijs tribunalibus præfatis, in ſtatu & terminis in quibus illæ reperiuntur, ad Nos harum ſerie avocamus, illaſque penitus, & omninò ſupprimimus, & extinguimus ac abolemus, nec non utrique parti deſuper perpetuum ſilentium imponimus; proque totius negotij hujuſmodi compoſitione, *tenore præſentium, Unionem præfatam legitimè factam, ipſoſque Clericos primòdictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ eſſe veros regulares & profeſſos, declaramus.*

Unio legitimè facta declaratur.

Ipſam tamen Unionem, ex cauſis animum noſtrum

mo-

moventibus, diſſolvimus, dictoſque Clericos primòdictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, *juriſdictioni Ordinariorum locorum, qui in omnibus iis, quæ dicta exercitia ſpirituālia concernunt, in inſtruendis populis, concionibus habendis, & in exercitio, & adminiſtratione Sacramentorum immediatè procedere poſſint, ſupponimus, & ſubijcimus.*

Diſſolutio unionis.

Quod autem ad bonorum temporalium ejuſdem primòdictæ Congregationis adminiſtrationem, Domorum gubernium, Superiorum electiones, Novitiorum receptiones, tranſgreſſiones, inobedientias, & alios domeſticos exceſſus puniendos attinet, præmiſſa ad Superiores locales, Provinciales, & Generales gradatim *ſpectare debere*; *Ordinarioſque locorum* ſeſe in iis ingerere, *aut executiones Decretorum & Sententiarum dictorum Superiorum*, niſi in caſibus a jure permiſſis, *ſuſpendere nullatenus poſſe*; necnon bona ejuſdem primòdictæ Congregationis per præſentes diſſolutæ, cùm, ſicut præfertur, unita eſſet, legata, vel hactenus quomodolibet acquiſita, & ubivis locorum etiam in ſtatu Eccleſiaſtico dicti Regni conſiſtentia, eidem primòdictæ Congregationi ſic diſſolutæ relinqui debere, non obſtantibus quibuſcumque, ac præcipuè quòd ipſi Clerici Regulares ſecundòdictæ Congregationis dictorum Regularium Somaſchæ ad id vocati, & auditi non fuerint, ipſamque primòdictam Congregationem, nomen *Doctrinæ Chriſtianæ* & Inſtitutum primævum docendi parvam, mediocrem, & magnam Doctrinam juxta Catechiſmum Romanum, & pueros docendi, retinere debere volumus, & mandamus; eamdemque primòdictam Congregationem, in ſuum priſtinum, & eum in quo ante Unionem præfatam juxta laudabile ejus Inſtitutum, ab eodem Clemente Prædeceſſore approbatum, quomodolibet erat, ſtatum reponimus, reſtituimus, & plenariè reintegramus, Inſtitutumque hujuſmodi de novo, quatenus opus ſit, perpetuò ap-

Status Cōgreg. in poſterum.
Exemptio ab ordinariorum juris ditione.

Digitized by Google

probamus, eique omnes Indulgentias & gratias a dicto Clemente Prædeceſſore conceſſas relinquimus, *Clericoſque Regulares in eadem primòdicta Congregatione diſſoluta hactenus profeſſos, quandiu vixerint ab eadem Congregatione diſcedere, dimittique nullatenus poſſe, ſed in ea votis ſuis regularibus adſtrictos permanere, ac ſub obedientia Ordinariorum locorum in quibus pro tempore degent, ut præfatur, eſſe debere.*

Facultas Conſtitutiones condendi.

Nec non Superiorem Generalem ipſius Congregationis ſic diſſolutæ, pro tempore exiſtentem, de conſenſu Capituli Generalis Conſtitutiones pro bono & fœlici regimine ipſius primòdictæ Congregationis, illiuſque perſonarum, & rerum tàm ſpiritualium, quàm temporalium condere, ac conditas pro rerum ac temporum qualitate variare, aut interpretari, ac alias de novo edere poſſe, dummodò tamen ſacris Canonibus, & ſacri Concilij Tridentini Decretis, nec non Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis contrariæ ſeu difformes non ſint. Ac poſtremò Capitulum generale primòdictæ Congregationis hujuſmodi ſic diſſolutæ, prò forma & regimine illius, ac Superiorum tàm generalis, quàm particularium electione, modo, ac forma quibus ante diſſolutionem hujuſmodi procedi conſueverat, in Civitate Pariſienſi, menſe Novembris proximè venturo celebrandum; ac interim ipſam primòdictam Congregationem à Provinciali, & alijs Superioribus præſentibus regendam eſſe, earumdem tenore præſentium itidem volumus; concedimuſque & indulgemus.

Decernentes eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eò quòd præfati Clerici Regulares dictæ Congregationis Somaſchæ, & alij quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere quomodolibet prætendentes ad eadem præmiſſa vocati, & auditi non fuerint, minuſque illis conſenſerint, nec cauſæ, propter quas illæ emanarunt adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut

ex

ex alia quacumque cauſa quantumvis legitima, nullo unquam tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu, notari, impugnari, invalidari, infringi, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos Juris reduci poſſe, ſed illa ſemper, & perpetuò valida, firma, & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus a quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis Pariſienſi, & Narbonenſi, ac Epiſcopo Electenſi, ſeu dilectis filijs Officialibus Pariſienſi, Narbonenſi, & Electenſi, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium ſeu alios præſentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Clericorum ſic diſſolutæ primòdictæ Congregationis hujuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant autoritate noſtra, præmiſſa omnia & ſingula debitæ executioni demandari, eoſdemque Clericos primòdictæ Congregationis hujuſmodi illorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos deſuper à quoquam, quavis autoritate, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles, præmiſſiſque non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris

& fa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

& facili remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſos, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis, non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. pariter Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis autoritate præſentium in judicium non trahatur, ac quibuſvis alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Concilijs univerſalibus editis ac dictarum Congregationum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, eorumque ſuperioribus & perſonis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, aut aliqua alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma adſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter & expreſsè derogamus; cœteriſque contrarijs quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: Volumus antem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici

ſub-

Digitized by Google

ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra, adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die trigeſima Julii M. DC. XLVII. Pontificatus noſtri anno tertio.

M. A. Maraldus.

BREVE
INNOCENTII X.

Datum die XXX. Auguſti An. MDCLII.

PRO

Explicatione Brevis, anno 1647.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officij, quo Divina diſpenſatione nullis noſtris ſuffragantibus meritis fungimur, ratio poſtulat, ut Religioſorum Ordinum quorumcumque paci, & quieti, quantùm nobis ex alto conceditur, opportunè conſulamus. Cum itaque, ſicut accepimus, inter dilectos filios Sacerdotes & Clericos Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Regni Franciæ, poſt emanatas ſub die trigeſima menſis Iulii,

ann

anni 1647. quaſdam noſtras in ſimili forma brevis litteras ſuper diſſolutione unionis dictæ Congregationis à Congregatione Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupata, plurimæ fuerint ortæ contentiones, *eò quòd aliqui ex ipſis primòdictis Sacerdotibus & Clericis prætenderent primòdictam Congregationem hujuſmodi, licet à ſecundòdicta Congregatione ſeparatam, adhuc regularem remanere; ideòque à die diſſolutionis prædictæ, quàmplures ad regularem profeſſionem admiſerint, ac in omnibus uti merè regulares ſe geſſerint: Reliqui verò contenderent primòdictum Congregationem ad primævum ſtatum ſæcularem fuiſſe redactam.*

Contentiones ortæ circa ſtatum Congreg. poſt diſſolutionem.

Nos omnem contentionum & controverſiarum hujuſmodi materiam ſubmovere volentes, de conſilio particularis Congregationis aliquot Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & dilectorum Filiorum nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum. *Quibus negotium antedictum diſſolutionis jam fuerat a nobis ſpecialiter demandatum, partibus hinc inde auditis, reque pluries, & maturè diſcuſſa, ac inhærendo litteris noſtris prædictis, ſupradictam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ dicti Regni poſt factam diſſolutionem unionis à ſecundòdictà Congregatione Clericorum Regularium de Somaſcha, vigore prædictarum noſtrarum litterarum fuiſſe redactam ad ſtatum Congregationis Sæcularis juxta ipſius inſtitutum* à fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædeceſſore noſtro per ſuas in eadem forma brevis, ſub die 23. Decembris, anni 1597. emanatas litteras approbatum: *ita ut ij qui durante prædicta unione in ipſa Congregatione Doctrinæ Chriſtianæ profeſſionem emiſerint, ut regulares, & profeſſi cenſendi ſint, in eaque ſub obedientia ordinariorum juxta earumdem noſtrarum litterarum præſcriptum donec vixerint permanere debeant, nec extra eandem Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ dimitti, aut diſcedere ullatenus potuerint, aut poſ-*

Congreg. declaratur redacta ad ſtatum Congreg. ſæcularis.

Profeſſi durante unione, regulares declarantur.

poſſint, & qui dimiſſi ſint, aut diſceſſerint, ad eandem Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ revocari, ac reſpectivè redire debeant, ſub apoſtaſiæ, aliiſque pœnis contra apoſtatas, & fugitivos latis, à quibus tamen pœnis eos benignè abſolvi volumus, qui intra terminum duorum menſium a publicatione harum noſtrarum præſentium litterarum ſua ſponte regreſſi, culpam coram Superiore faſſi fuerint, & abſolutione humiliter petita emendationem promiſerint.

Reliqui verò poſt diſſolutionem dictæ unionis prædictam, in dicta Congregatione Doctrinæ Chriſtianæ admiſſi, ac in futurum admittendi, *tanquam Clerici Sæculares ſint habendi*, & hanc, & non aliam in prædictis noſtris prioribus litteris fuiſſe mentem noſtram, *omniaque in eis contenta ad illarum normam & præſcriptum omnino ſervanda eſſe* Apoſtolica authoritate tenore præſentium declaramus. *Non obſtantibus quibuſdam aliis ſub plumbo ſub die 27. Januarii 1651. emanatis litteris, quas uti non cohærentes prioribus noſtris in dicta forma brevis litteris, & per fraudem obtentas, irritas, invalidas, ac nullas eſſe; profeſſiones verò, & quidquid hactenus contra earumdem priorum noſtrarum litterarum formam factum fuerit, irrita omnino, & inania fore, & eſſe itidem declaramus.*

Profeſſi poſt diſſolutionem unionis, ſæculares declarantur.

Ut autem præmiſſa ſuum ſortiantur effectum, authoritate, & tenore prædictis, volumus, & mandamus, ut infra duos menſes ab exhibitione prædictarum, præſentiumve noſtrarum litterarum, novum Capitulum Generale dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ ſic ad ſtatum Congregationis ſæcularis redactæ *a Venerabili Fratre moderno Archiepiſcopo Pariſienſi convocetur, & coram eo celebretur*, in eoque Capitulo Generali *novæ electiones*, & quæcumque alia in dictis prioribus, & præſentibus litteris noſtris hujuſmodi contenta executioni demandentur.

Decernentes eaſdem præſentes ſemper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque

D ple-

Digitized by Google

plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, ſicque per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ac quoſcunque alios quavis authoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & litteris Apoſtolicis, ac ipſius Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſcunque perſonis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis eorum totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia forma ad hoc ſervanda foret, illorumque omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, *illis aliàs in ſuo robore permanſuris*, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus in judicio, & extra illud, ac ubique adhibeatur; quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Da-

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die trigeſima Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno octavo.

Franciſcus Cajetanus.

BREVE
INNOCENTII X.

Datum die XVI. Novemb. An. MDCLIV.

PRO

Explicatione & executione. Brevium an. 1647. & 1652.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Bituricenſi, & Epiſcopo Olorenſi.

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

NUper pro parte dilecti filii Stephani Daulmoy Presbyteri Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia nobis expoſitum fuit, cum poſt emanationem noſtrarum in ſimili forma brevis die 30. Julii 1647., & die 30. Auguſti 1652. expeditarum litterarum per quas unionem Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ ejuſmodi, Congregationi dilectorum filiorum Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupatorum, antea authoritate Apoſtolica factam, diſ-

Digitized by Google

ſolvimus, eamdemque Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ ad ſtatum ſæcularem juxta illius inſtitutum a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædeceſſore noſtro approbatum reduximus, & redactam eſſe *ſub certis modo & forma inibi expreſſis*, *declaravimus*: Dilectus pariter filius Hercules Audifret dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ etiam Presbyter, ſuo & aliorum, ſæcularitati ejuſmodi ſe opponentium nomine, libellum ſupplicem, quo Regularitatem ejuſmodi Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ ſuſtinere contendebat, nobis porrexiſſet, noſque libellum ſupplicem ejuſmodi a particulari Congregatione pro ſæcularitate prædictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ juxta mentem noſtram in prædictis noſtris litteris expreſſam reſolutum fuit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædictus Stephanus, attento quòd Archiepiſcopus Pariſienſis, cui per eaſdem litteras noſtras commiſeramus, ut Capitulum Generale ejuſdem Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ convocaret, & alia in prædictis litteris contenta exequeretur, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt; ad repellendam inobedientium contumaciam, earumdem litterarum noſtrarum executionem vobis per nos demandari ſummoperè deſideret.

Nos eundem Stephanum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, earum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ejuſmodi ſupplicationibus inclinati, *nec non dictarum noſtrarum litterarum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis*, ac verbatim inſertis habentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum conſilio,

lio, inhærendo voto particularis Congregationis ſuper ejuſmodi negotio a nobis ſpecialiter deputatæ, nec non reſolutionibus alias factis ſuper ſæcularitate prædictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, ac denuò, utraque parte informante, approbatis, *prædictas noſtras in forma brevis litteras anni* 1647. *&* 1652. *ejuſmodi ſæcularitatem declarantes exequendas eſſe cenſemus*; ac Fraternitatibus veſtris & veſtrum cuilibet tàm conjunctim, quàm diviſim, earumdem noſtrarum litterarum executionem cum facultate procedendi per cenſuras; & alia juris remedia contra inobedientes & rebelles, *nec non convocandi Capitulum Generale, modo & forma in eiſdem litteris anni* 1647. *&* 1652. *præſcriptis*, eidemque Capitulo præſidendi, ac ea omnia peragendi quæ prædicto Archiepiſcopo Pariſienſi fuerant demandata, Apoſtolica authoritate tenore præſentium demandamus. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in eiſdem litteris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Sæcularitas Congreg. confirmatur.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die decima ſexta Novembris anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto, Pontificatus noſtri anno undecimo.

I. Gualterius.

Locus ✠ Sigilli.

BRE-

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die XXVIII. Junii An. MDCLVI.

PRO

Prorogatione ſuperiorum ad ſex Menſes.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

PRO Paſtoralis Officii noſtri Divinitus commiſſi debito, Congregationum Regularium in agro militantis Eccleſiæ utiliter plantatarum neceſſitatibus libenter, cum a nobis petitur, providemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectùs filius Franciſcus Aujas Presbyter ac Procurator Generalis Clericorum Regularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia conſiſtentis, quòd de menſe Auguſti proximè venturi officia Superiorum ejuſdem Congregationis ceſſare debent, ac proinde tunc temporis nemo Profeſſores Theologiæ, Philoſophiæ, ac Rhetoricæ, aliarumque ſcientiarum, qui in ſcholis publicis Collegiorum ipſius Congregationis in diverſis Civitatibus reſpectivè exiſtentium, juxta obligationem, qua eadem Congregatio, ſeu illius Collegia dictis Civitatibus tenentur, memoratas ſcientias toto anno doceant, conſtituendi authoritatem habiturus eſt. Quinimò dicta Congregatio tunc Superioribus qui eam in ſpiritualibus, temporalibuſque gubernent, deſtituetur, unde periculum imminet ne in-

inconvenientia & ſcandala maxima, cum ipſius Congregationis, ac ejus Domorum, & Collegiorum pernicie, & graviſſimis populorum earumdem Civitatum querelis ſequantur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Franciſcus Procurator, ad evitanda incommoda hujuſmodi, modernos Congregationis præfatæ Superiores in eorum officiis reſpectivè à nobis ad aliquod tempus arbitrio noſtro continuari ſummoperè deſideret.

Nos ipſos Franciſcum Procuratorem, nec non modernos dictæ Congregationis Superiores ſpecialibus favoribus,& gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a iure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibuſque dicti Franciſci nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, *ut quotquot impræſentiarum exercent officia Superiorum in præfata Congregatione Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia & illius Collegiis & Domibus, pergere poſſint in ſuo quiſque officio, per modum proviſionis, & ſine aliùs præjudicio, uſque ad celebrationem proximi Capituli Generalis ipſius Congregationis; dum tamen celebratio hujuſmodi non differatur ultra menſem Februarii proximè futuri; alioquin, eo menſe elapſo, illicò expiret eorumdem Superiorum authoritas, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, concedimus, & indulgemus.*

Prorogatio Superiorum conceditur.

Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores iudicari & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper

his

Digitized by Google

his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Congregationis, eiuſque Domorum, & Collegiorum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Congregationi, ejuſque perſonis quibuslibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub Annullo Piſcatoris, die vigeſima tertia Iulii anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

G. Gualterius.

Locus ✠ Sigilli.



BRE-

Digitized by Google

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die v. Martii An. MDCLVII.

PRO

Convocando Capitulo Generali per Eminentiſſimum Cardinalem Grimaldum.

Dilecto filio noſtro Hieronymo, tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio, S. R. E. Presbytero Cardinali Grimaldo nuncupato, Eccleſiæ Aquenſis, ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica, Præſuli.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

PRO commiſſa nobis divinitus omnium Chriſti fidelium cura, Congregationis ſæcularis dilectorum filiorum Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia quieti, & felici directioni, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere cupientes; auditis per Congregationem à nobis ſuper negotiis Congregationis ſæcularis Clericorum hujuſmodi deputatam, partium Procuratoribus, reque maturè diſcuſſa, *circumſpectioni tuæ per præſentes committimus*, ut cum primùm commodè poteris, Capitulum Generalem præfatæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, Avenione in Domo S. Joan-

Eminent. Card. Grimaldus committitur ad convocandum Capitulum Generale.

S. Joannis veteris, authoritate noſtra Apoſtolica convoces; ac proindè ſingulis Collegiis, ac Domibus ipſius Congregationis, in quibus ſex ſaltem Sacerdotes, ſeu Clerici de familia exiſtunt, intimari procures, ut primo quoque tempore, in Capitulo Conventuali convocando à Sacerdote antiquiore ex receptis in ipſa Congregatione, qui in eodem Collegio, ſeu Domo ſint de familia, per ſecreta ſuffragia majoris partis Capituli, eligant unum Diſcretum, ſeu vocalem Capituli Generalis, eumque mittant Avenionem, cum authentico documento ſuæ electionis, ad diem à te præfixam pro celebratione ipſius Capituli Generalis; qui quidem diſcreti, & non alii, in præfata Domo S. Ioannis veteris capitulariter congregati, per ſecreta ſchedularum ſuffragia majoris partis Capituli, procedant ad electionem Generalis totius Congregationis, & Officialium majorum; & ipſe Generalis, & Officiales, ut præfatur, electi, qui fuerint præſentes, una cum memoratis diſcretis procedant itidem per ſecreta ſuffragia, ad electionem Superioris localis cujuſcunque Collegii, ac Domus Congregationis, & alia omnia faciant, ordinent, atque decernant, quæ pro bono, ac felici regimine ipſius Congregationis neceſſaria, & opportuna eſſe judicaverint.

Modus convocandi præſcribitur.

Modus procedendi in illo Capitulo deſignatur.

In ipſo autem Generali Capitulo, tu authoritate noſtra, præſidebis, ac curabis, ut omnia quietè & legitimè peragantur, *inhibebiſque ne in eo quomodolibet agatur de nova unione ipſius Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ cum Congregatione Clericorum Regularium de Somaſcha, vel aliàs de ſtatu Regulari quovis modo à Sede Apoſtolica obtinendo, quoniam hanc petitionem ſupradicta Congregatio à nobis deputata, ſemel atque iterùm cenſuit eſſe omnino reiiciendam.*

Eminent. Card. Grimaldus committitur ad præſidendum in illo Capitulo &c.

Et nihilominus tibi, etiam Capitulo abſoluto, tribuimus facultatem ordinandi & exequendi quæcumque tuæ prudentiæ, ac circumſpectioni opportuna videbuntur, pro

pace

Digitized by Google

pace inter Clericos ipſius Congregationis componenda & conſervanda; & in hunc finem ipſas præſentes litteras interpretandi, ac dubia inde emergentia declarandi & decidendi, contradictoreſque, ac refractarios per cenſuras Eccleſiaſticas compeſcendi, invocato ſi opus fuerit brachii ſæcularis auxilio: *Non obſtantibus, quoad præmiſſa omnia & ſingula*, fœlicis recordationis Innocentii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri litteris in ſimili forma Brevis, die trigeſima Iulii anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, & die trigeſima Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, ac die decima ſexta Novembris, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto, reſpectivè expeditis; nec non recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis, authoritate præſentium, in judicium non trahatur; aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conciliaribus, ac quatenus opus ſit dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, illiuſque Domorum, ſeu Collegiorum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Congregationi, illiuſque Collegiis, ac Superioribus & perſonis quibuslibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; *quibus omnibus & ſingulis in his, quæ præſentibus adverſantur, illorum tenores eiſdem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die quinta Martii, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno ſecundo. *Gualterius.*

Loco ✠ Sigilli.

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die XIX. Aprilis An. MDCLVIII.

PRO

Facultate docendi publicè in Collegiis in Statu præſenti Congreg.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Paſtoralis dignitatis faſtigium divina diſpoſitione evecti, Congregationes virorum in Eccleſia Dei piè ſalubriterque inſtitutas, quò Chriſti fidelium utilitati fructuoſius operam dare valeant; favoribus & gratiis libenter proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Aujas Presbyter & Procurator Congregationis ſæcularis Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quòd aliàs eadem Congregatio, quæ exercitia ſua & Inſtitutum docendi Doctrinam Chriſtianam (cui plurimorum animarum fructu indeſinenter incumbit) fuſiùs dilatare, diverſiſque Provinciis, Civitatibus, & Urbibus, ac vicinis earum locis campeſtribus communicare faciliùs poſſet; curam Collegiorum, in quibus tàm ſacras ſcientias, quàm humaniores litteras in ſcholis publicis doceret, ſuſcipere cogitavit, hujuſque rei, nempe in ſcholis publicis docendi facultatem eo tempore quo Congregationi Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupatorum unita erat à felicis recordationis Gregorio Papa XV. Prædeceſſore noſtro concedi

cedi ſibi obtinuit: unde vocati fuerunt dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Operarii in multa diverſarum Provinciarum loca, in quibus eadem Congregatio, ſervando ſemper primarium Inſtitutum docendi Doctrinam Chriſtianam; & iuvenes docet ſacras ſcientias, & humaniores litteras; ſicque perſeveravit ipſa Congregatio toto illo tempore, quo unita fuit cum præfata Congregatione de Somaſcha, & nunc quoque ab eadem ſeparata, in eiſdem exercitiis perſeverat, ac curam Collegiorum ad quorum adminiſtrationem ſæpe à Magiſtratibus locorum vocatur de novo ſuſcipit: attento quòd recentis memoriæ Innocentius Papa Decimus, etiam Prædeceſſor noſter, per ſuas in ſimili forma Brevis litteras die trigeſima Iulii 1647. ſuper ſeparatione Congregationum præfatarum emanatas, repoſuerit dictam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ in ſuum priſtinum ſtatum, non tamen revocavit dictam facultatem eidem Congregationi à præfato Gregorio Prædeceſſore conceſſam tempore unionis.

Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, nonnulli ſcrupuli & dubia oriri poſſint, an ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris mens fuerit, reponendo dictam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ in priſtinum ſtatum, ut facultas docendi in ſcholis publicis eidem Congregationi à memorato Gregorio Prædeceſſore, ſicut præmittitur, conceſſa, ipſi Congregationi poſt diſſolutam unionem hujuſmodi ſuffragari deberet. Nobis propterea dictus Franciſcus humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſum Franciſcum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit,

ſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, *facultatem docendi ſacras ſcientias, humanioreſque litteras præfatæ Congregationi Doctrinæ Chriſtianæ à dicto Gregorio Prædeceſſore, ſicut præmittitur, conceſſam, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus & confirmamus, utque ipſa Congregatio Doctrinæ Chriſtianæ, licet à memorata Congregatione de Somaſcha ſeparata ſit, ut præfertur, nihilominus unà cum exercitiis ſui publici Inſtituti, ſacras ſcientias, humanioreſque litteras hujuſmodi in Academiis & Collegiis publicis, in quibus ad præſens ſtabilita eſt, & in futurum ſtabilietur, ſicut prius, docere liberè & licitè poſſit, & valeat, authoritate & tenore præſentium concedimus & indulgemus.*

Breve Gregorii XV. Datum die 2. Julii 1621. confirmatur, & Collegiorum regimen iterum approbatur.

Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quibuſvis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut earumdem præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii

pu-

Digitized by Google

publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, decimo nono Aprilis, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo, Pontificatus noſtri anno tertio.

S. Ugolinus.

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die XXVI. ~~Auguſti~~ 7bris An. MDCLIX.

PRO

Votis ſimplicibus, & pro Ordinandis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus Officium humilitati noſtræ per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam impoſitum poſtulat, ut Congregationum virorum in Eccleſia Dei piè, prudenterque inſtitutarum, uberesque bonorum operum fructus aſſiduè producentium, ſtatui & utilitati, opportunis rationibus conſulere ſtudeamus, prout in Domino conſpi-

ſpi-

Digitized by Google

ſpicimus ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Aujas Presbyter, ac Procurator Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quòd eadem Congregatio anno 1647. à fœlicis recordationis Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis litteras, à Congregatione Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupatorum ſeparata fuit, & pro futuris inde temporibus Sæcularis remanſit, atque ita uſque in hodiernum diem perſeveravit; ſed ex eo ſtatu plurima paſſa eſt & patitur incommoda; nam licet plurimi à prædicto anno 1647. citrà poſtulaverint, & adhuc hodie poſtulent in eamdem Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ admitti, allecti vita exemplari illius perſonarum, & aſſiduis pietatis officiis in Inſtituto docendi Doctrinam Chriſtianam, tàm in Miſſionibus, quàm in Civitatibus, quibus indeſinenter incumbit, cum plurimo animarum fructu, *ut publica fama eſt, & patet ex quàm plurimis atteſtationibus authenticis, tàm Epiſcoporum quàm Civitatum, in quibus ipſa Congregatio humaniores, ſacraſque Litteras in Academiis publicis docet*; Sæpe tamen accidit ut non pauci, nullis ligati vinculis perpetuis, poſtquàm Congregatio hujuſmodi plurimùm temporis & multas expenſas in eis alendis, formandis & educandis, tùm in Inſtituto præfato, tùm in ſcientiis acquirendis conſumpſerit, exiſtimans ſe habere operarios, qui poſſint attendere obligationibus & exercitiis, quibus ipſa Congregatio ex Inſtituto incumbit, ab eadem Congregatione recedant; ipſaque Congregatio ex illo operariorum diſceſſu non levia ſentiat detrimenta; cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, univerſa Congregatio Doctrinæ Chriſtianæ hujuſmodi, quò incommodis & detrimentis prædictis remedium adhibeatur, ipſaque Congregatio obligationibus ſuis ſatisfacere, & ex laudabili ſuo Inſtituto, cum majori operariorum numero animarum ſaluti & culturæ vineæ Domini vacare va-

leat,

Digitized by Google

leat, ſe firmo aliquo ſtabilimento à nobis muniri ſummoperè deſideret, cùmque plures in dictam Congregationem à præfato anno 1647. uſque in præſentem diem admiſſi fuerint, qui jam expleverunt in ea integrum annum probationis, eoque expleto miſſi ſunt à Superioribus in diverſa Collegia, & Domos ejuſdem Congregationis, ad exercenda diverſa officia, à quibus revocare, & in unum locum eos omnes congregare ad novam annuam probationem faciendam eſſet admodùm difficile, & in eo faciendo prædicta Congregatio grave damnum pateretur; Nobis propterea memoratus Franciſcus ſupradictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ nomine humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ejuſdem Congregationis votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, dictumque Franciſcum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati *perſpecta narratorum veritate, ac attentis & viſis per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitos, mandatis ſpecialibus & liberis conſenſibus à ſingulis Domibus, & Collegiis prædictæ Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, per ſecreta ſuffragia capitulariter præſtitis, ad infrà ſcripta petenda factis in perſona dicti Franciſci Aujas Sacerdotis & Procuratoris ejuſdem Congregationis.*

Authoritate Apoſtolica tenore præſentium benignè indulgemus, pro majori ſtabilimento & conſervatione prædictæ Congregationis, *ut, firmis manentibus omninò ſecundùm*

Brev. Inn. X. an. 1647. confirmatur.

Digitized by Google

dùm univerſum tenorem, *fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri litteris in ſimili forma Brevis*, *ſuper negotiis præfatæ Congregationis emanatis ſub die* 30. *Julii* 1647. & ſervata, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium, à ſingulis ejuſdem Congregationis tàm præſentibus, quàm futuris, eadem omninò habitus forma, qua de præſenti in omnibus ſuis Collegiis & Domibus utitur dicta Congregatio; omnes tàm qui in eamdem Congregationem poſt dictas litteras jam ſunt admiſſi, quàm qui in futurum admittentur, expleto probationis anno, ſi idonei judicati fuerint, *emittant tria Vota ſimplicia*, *Obedientiæ*, *Caſtitatis*, *& Paupertatis*, *nec non Votum*, *ſeu Juramentum in eadem Congregatione perpetuò perſeverandi*, non diſpenſandum, vel relaxandum à quocumque alio, etiam vigore cujuſcumque Indulti, niſi a ſolo Romano Pontifice, aut a Capitulo Generali, vel Definitorio memoratæ Congregationis, cum facultate, *ut omnes ejus Clerici poſt Vota emiſſa & Juramentum ut ſuprà præſtitum*, *de licentia Præpoſiti Generalis*, *vel Provincialis*, *ad omnes ſacros & Præsbyteratus Ordines ſervatis ſervandis promoveri valeant*, *ad titulum prædictæ Congregationis*, & Ordinari a quocumque Catholico Antiſtite ad omnes Ordines, cum ſolis Dimiſſoriis illius Epiſcopi in cujus Diœceſi exiſtunt Collegia ſeu Domus, in quibus degunt de familia iidem Clerici, qui ad Ordines promoveri deſiderant, contrariis quibuſcumque non obſtantibus, ita tamen ut Capitulum Generale vel Definitorium minimè diſpenſet, ſive relaxet hujuſmodi Votum, ſeu juramentum alicui ex promotis ad ſacros Ordines, niſi ſibi priùs conſtiterit, etiam ex litteris Teſtimonialibus Ordinarii loci, eum aliunde habere unde commodè ſuſtentari poſſit.

Habitus forma preſcribitur.

Vota ſimplicia conceduntur.

Facultas datur, ut omnes Clerici promoveri poſſint ad Ordines ſub titulo Cōgregationis.

Quòd ſi aliquis hujuſmodi Votis & juramento, ut præfatur emiſſis, ſine diſpenſatione & relaxatione prævia receſſerit a dicta Congregatione, eo ipſo remaneat ſuſpenſus, donec hujuſmodi diſpenſationem & relaxationem obtinuerit.

Suſpenſionis pœna infligitur iis, qui recedunt à Congregatione ſine diſpenſatione.

Præ-

Digitized by Google

Præterea, ut omnes qui a prædicto anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, uſque in præſentem diem in dictam Congregationem fuerunt admiſſi, in eaque per annum integrum in probatione ſteterunt, poſtquam per alios duos menſes in eadem probatione permanſerint, in Collegiis, vel Domibus, in quibus ad præſens commorantur, ſi alioquin habiles inventi fuerint, ad tria Vota ſimplicia, nec non ad Votum perſeverandi perpetuò in eadem Congregatione, ut præfatur, admitti liberè & licitè valeant, authoritate & tenore prædictis pariter indulgemus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis Avenionenſi, vel Narbonenſi, aut dilectis filiis eorum Officialibus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel eorum unus eaſdem præſentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Clericorum Sæcularium dictæ Congregationis, ſeu alicujus eorum, aliorumve ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, fuerint requiſiti, per ſe, vel alium, ſeu alios ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtra illos & eorum ſingulos, ipſarum præſentium litterarum effectum pacificè frui & gaudere; non permittentes illos a quoquam deſuper indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris &

facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, etiam ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis, non obſtantibus præmiſſis, nec non recolendę memoriæ Bonifaci Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis authoritate præſentium in judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, & quatenus opus ſit dictæ Congregationis, ejuſque Domorum & Collegiorum hujuſmodi. & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis illorum tenores pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extrà, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima ſexta Septembris anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo nono, Pontificatus noſtri anno quinto.

S. Ugolinus.

BRE-

Digitized by Google

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die IV. Februarii An. MDCLX.

PRO

Anticipanda celebratione Capituli Generalis ejuſdem anni.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Aujas Presbyter & Procurator Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quòd cum Nos per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis die vigeſima ſexta Septembris proximè præteriti expeditas, eidem Congregationi conceſſimus, ut in illam ab anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, uſque in hunc diem admiſſi, & qui ex tunc in poſterum in eandem admitterentur, elapſo probationis anno, emitterent tria Vota ſimplicia, Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis, nec non Votum, ſeu Juramentum in ipſa Congregatione perpetuò perſeverandi, non diſpenſandum, vel relaxandum à quocunque alio; etiam vigore cujuſcumque Indulti, niſi à ſolo Romano Pontifice, aut à Capitulo Generali, vel Definitorio memoratæ Congregationis, cum facultate, ut omnes ejus Clerici, poſt Vota emiſſa, & Iuramentum, ut ſupra, præſtitum, de licentia Præpoſiti Generalis, vel Provin-

cialis,

cialis, ad omnes Sacros & Presbyteratus Ordines, ſervatis ſervandis, promoveri valeant ad Titulum præfatæ Congregationis, & aliàs, prout in eiſdem Litteris uberius continetur; ille verò ſtatus requirat ſtabiliri diverſos Ordines, Regulas, & Statuta pro illius debita obſervantia, nec id fieri & determinari poſſit niſi in Capitulo Generali; ideo dilecti pariter Filii Præpoſitus Generalis, Officiales Majores, & Rectores ſingularum Domorum, & Collegiorum dictæ Congregationis plurimùm cupiunt à Nobis provideri, ut poſſit idem Præpoſitus Generalis convocare Capitulum Generale ipſius Congregationis, & illud celebrare Avenione in Domo S. Ioannis veteris ejuſdem Congregationis, intra proximum menſem Majum, cum illa eadem facultate, ac modo & forma conceſſis, & præſcriptis per Litteras fœlicis recordationis Innocentii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri in ſimili forma Brevis, die trigeſima Iulii, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, ſuper negotiis dictæ Congregationis emanatas, quas firmas omnino remanere, ſecundum univerſum tenorem in ſupradictis Litteris, volumus. Quare idem Franciſcus Aujas nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſum Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, *ut Capitulum Generale dictæ Congregationis Sæcularis Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quod celebrandum eſſet menſe Septembri proximè futuro, anticipatè celebretur menſe Majo currentis anni 1660. Avenione in prædicta Domo*

Celebratio Capituli Generalis anticipata conceditur.

S. Joan-

S. Joannis Veteris ejuſdem Congregationis, *eadem prorſus facultate*, *& forma*, *qua conceditur*, *& præſcribitur in memoratis Innocentii Prædeceſſoris Litteris*, *auctoritate Apoſtolica*, *tenore præſentium*, *concedimus*, *& indulgemus*, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis Statutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die quarta Februarii 1660. Pontificatus noſtri anno quinto.

S. Ugolinus.



BRE-

Digitized by Google

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die XII. Martii An. MDCLXI.

PRO

Exemptione à Parochorum Juriſdictione.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis Officii nobis divinitus commiſſi ſollicitudo nos admonet, ut paternam Congregationum virorum in ſortem Domini aſſumptorum curam gerentes, illas privilegiis & gratiis decoremus opportunis. Itaque Congregationem Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quæ uberes in Eccleſia Dei fructus, benedicente Domino, jugiter producit, ſpeciali favore gratiæ proſequi volentes, ac dilectum Filium Franciſcum Aujas Presbyterum, & Procuratorem Generalem ejuſdem Congregationis à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, *dictam Congregationem Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, ejuſque Domos, Collegia, & Clericos univerſos,*

ac

ac Alumnos, & Convictores, & inſervientes ibi degentes à cura Parochorum, tàm quoad adminiſtrationem Sacramentorum, quàm quoad ſepulturam Eccleſiaſticam, & jura quæcumque ſepulturæ ab ipſis Parochis prætenſa, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, perpetuò eximimus, & liberamus.

Conceditur exemptio à Parochorum juriſdictione.

Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocumque ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, ac quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem, & præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub

Digitized by Google

Annulo Piſcatoris, die duodecima Martii anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

S. Ugolinus.

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die xx. Julii An. MDCLX.

PRO

Validitate Capituli Generalis ejuſdem anni.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Aujas Presbyter, ac Procurator Congregationis Sæcularis Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quòd cum alias, attentis conſenſibus tunc exiſtentium, Præpoſiti Generalis Officialium majorum, & ſingulorum Rectorum prædictæ Congregationis, ſuper anticipanda Capituli Generalis ipſius Congregationis celebratione; facultatem, per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis litteras ſub die 4. Februarii proximè præteriti expeditas, conceſſiſſemus illud menſe Majo proximè elapſo celebrandi; dictus Præpoſitus Generalis celebrationem Capituli hujuſmodi Vocalibus indixit, dieque præſcripto ad illud convenere, tàm idem Præpoſitus

tus Generalis, quàm Officiales majores, & Rectores locorum, jam a triennio in antecedenti Capitulo Generali electi: nam licet in noſtris litteris prædictis caveretur, ut dictum Capitulum Generale anticipatè celebrandum modo, & forma a fœlicis recordationis Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro ſub die 30. Julii 1647. præſcriptis, celebraretur; eoque anno menſe Novembri celebratum fuerit primum Capitulum Generale dictæ Congregationis, in quo a Provinciali tunc ſolo regente univerſam Congregationem, ac a Rectoribus & diſcreti locorum Congregationis hujuſmodi, electi fuerunt primus Præpoſitus Generalis, & Officiales majores ipſius Congregationis; non tamen viſum eſt probabile mentis noſtræ eſſe, ut excluderentur a prædicto ultimo Capitulo Generali dicti Præpoſitus Generalis, ac Officiales majores; ſed potiùs ut illi intervenirent cum utraque voce; quippe qui Capitulo Generali hoc anno celebrando, ſi ſuo tempore, non autem anticipatè celebratum fuiſſet, ſeu celebrari deberet, erant interventuri, ſeu intervenire deberent. Quare prædictus Franciſcus nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ad removendum omne dubium, in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſum Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne de validitate ultimi Capituli Generalis Clericorum prædictæ Congregationis Sæcularis Doctrinæ Chriſtianæ, menſe Majo proximè elapſo, Avenione, ut præfatur, celebrati, dubitari contingat, propterea quòd in eo intervenerint cum utràque

voce, tanquam Vocales, Præpoſitus Generalis, & Officiales majores, una cum Rectoribus, & diſcretis locorum Congregationis, *idem Capitulum validum*; *& legitimum*, *authoritate Apoſtolica*, *tenore præſentium declaramus*, *illudque approbamus*, *& confirmamus*; *decernentes*, *ut in poſterum in Capitulo Generali memoratæ Congregationis*, *ſingulis trienniis celebrando*, *interveniant cum utraque voce ejuſdem Congregationis Præpoſitus Generalis*, *ejuſdem Aſſiſtentes*, *Provinciales*, *Procurator Generalis*, *Procurator Provinciarum in Galliis degens*, *Secretarius Capituli Generalis*, *duo Diſcreti ex unaquaque Provincia dictæ Congregationis*, *& Rector loci ubi Generale Capitulum pro tempore celebrabitur*.

Capitulum Generale an. 1660. approbatur; & qui in poſterum Capitulis Generalibus intereſſe debeant, declaratur.

Præſentes quoque litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, prædictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem Præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus

fides

Digitized by Google

fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima Julii anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo, Pontificatûs noſtri anno ſexto.

S. Ugolinus.

Locus ✠ Sigilii.

MEMORIALE
ALEXANDRO VII.
PRÆSENTATUM
PRO
Indultis, & Privilegiis obtinendis.

TENOR MEMORIALIS.

BEATISSIME PATER.

ANnuente Clemente VIII., cœpit Avenione erectio Congregationis Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ, quam deinde auctam, & in diverſis locis, Provinciiſque Galliæ propagatam Sedes Apoſtolica ſæpius approbavit, & confirmavit, illamque ingredientibus Sanctitas Veſtra facultatem conceſſit emittendi tria Vota ſimplicia, cum quarto perſeverantiæ perpetuæ in eadem Congregatione, cum aliis facultatibus, quæ in litteris in forma Brevis expeditis ſub die

die 26. Septembris 1659. pleniùs continentur. Pro eademmet Congregatione recurrit Franciſcus Aujas Sacerdos, & Procurator Generalis ejuſdem Congregationis ad S. V. humiliter ei ſupplicando.

Petitur 1°. exemptio à Parochorum juriſdictione.

1°. Ut dignetur dictam Congregationem, ejuſque Domos, Collegia, Clericos univerſos, & domeſticos a cura Parochorum, tàm quoad adminiſtrationem Sacramentorum, quàm quoad ſepulturam Eccleſiaſticam, & jura quæcumque ſepulturæ ab ipſis Parochis prætenſa, perpetuò eximere, ac liberare.

2°. Indulgentia plenaria pro diebus igreſsùs & profeſſionis in Congreg. & in mortis articulo &c.

2°. Dignetur concedre omnibus, & ſingulis, qui perpetuis temporibus dictam Congregationem ingredientur, verè Confeſſis, ac ſacrà Communione refectis, in diebus ingreſsùs, & emiſſionis trium Votorum ſimplicium, & perſeverantiæ perpetuæ in eadem Congregatione, plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & tàm prædictis, quàm omnibus, & ſingulis jam admiſſis in dictam Congregationem, eamdem Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum in Mortis Articulo.

Nec non tàm ipſis omnibus, & ſingulis prædictis, quàm omnibus aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui etiam verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, ejuſdem Congregationis Eccleſias in diebus B. V. M. Annunciatæ, & Titularis, ſive Patroni devotè viſitaverint, dignetur Sanctitas Veſtra elargiri Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem.

Et ut Magis ad Inſtitutum dictæ Congregationis, & exercitia Doctrinæ Chriſtianæ, functiones, & officia ſua exercenda tàm Sacerdotes, quàm Clerici, Coadjutores, & miniſtri ejuſdem Congregationis animentur, & ſuaviùs ad ea invitentur, dignetur etiam S. V. prædictis omnibus, & ſingulis docentibus Doctrinam Chriſtianam; aut pium aliquod opus circa functiones ſuas, & officia ſua exercentibus, toties pro quolibet præmiſſorum operum, ſexaginta

dies

dies de injunctis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer relaxare.

3°. Ut nullus è dicta Congregatione audeat intra Domos, & Collegia dictæ Congregationis mulieres introducere ſub pœna excommunicationis *ipſo facto incurrenda*.

3°. Ut mulierum introductio intra Clauſurā prohibeatur ſub pœna excommunicationis.

4°. Et ultimò dignetur S. V. omnibus, & ſingulis Sacerdotibus præfatæ Congregationis ab Ordinariis locorum approbatis, & ab ipſis evocatis ad Miſſiones exercendas, quoties in aliquo loco actualiter Miſſionem exercebunt, facultatem abſolvendi quoſcumque Chriſti fideles, eorum confeſſionibus auditis, à quibuſcumque peccatis, delictis, & exceſſibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, in foro coſcientiæ tantùm (exceptis caſibus in Cœna Domini legi ſolitis.)

4°. facultas abſolvendi à caſibus reſervatis, in Miſſionibus.

5°. Præterea omnibus, & ſingulis dictæ Congregationis Sacerdotibus, & aliis utriuſque ſexus fidelibus ad quos ipſi Sacerdotes Miſſionarii acceſſerint, S. V. impertiri dignetur Apoſtolicam benedictionem, nec non eiſdem verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorrm ſuorum remiſſionem in actu Miſſionis concedere, & elargiri, quam Deus, &c.

5°. Indulgentia plenaria in Miſſionibus.

TENOR DECRETI.

SAnctiſſimus Dominus noſter benignè annuit exemptionibus, gratiis, & privilegiis ſupra ſcriptis, juxta illorum tenorem; & quoad facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, & Indulgentiam plenariam in actu Miſſionis, ad quinquennium tantùm. 8. Decembris 1660.

Gratiæ ſupradicta conceduntur.

Proſper Fagnanus.

BRE-

BREVE
ALEXANDRI VII.

Datum die XII. Auguſti An. MDCLXII.

PRO

Forma eligendorum diſcretorum Vocalium Capituli Generalis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Aujas Presbyter & Procurator Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quòd cum Nos aliàs, per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis litteras, certum numerum Vocalium Capituli Generalis dictæ Congregationis determinaverimus, & inter illos, duos pro qualibet Provincia ipſius Congregationis diſcretos eligi voluerimus, nec ullam tamen in eiſdem litteris pro facienda dictorum diſcretorum electione formam præſcripſerimus, eadem Congregatio in ultimo ejus Capitulo Generali formam in electione diſcretorum hujuſmodi ſervandam ſtabilivit, tenoris, qui ſequitur.

Forma in electione diſcretorum Capituli Generalis ſervanda præſcribitur.

Debito tempore à Patre Provinciali deſignando, unuſquiſque Vocalis, prius fuſis ad Deum precibus, ſcribet in una ſchedula duos Sacerdotes, alterum Rectorem, & non Rectorem alterum, quos aptiores ad hoc munus in Domino judicaverit; ſchedulæ colligentur in faſciculum unum ſigillo Do-

Digitized by Google

Domus, ſive Collegii ſignandum, & à duobus ſubditis Vocalibus mittendum ad Rectorem Domûs ſcrutinii, quam Pater Provincialis deſignaverit, qui de receptione epiſtolæ & faſciculi ſchedularum Rectorem Domûs mittentem quamprimùm poterit certum faciet, ut ſi fortè eſſet amiſſus, iterum congregetur Capitulum Domus ad eligendum de novo; cum autem omnium Domorum ſchedulas receperit prædictus Rector, congregato ſuo Capitulo, eas omnes miſcet priùs, deinde eas omnes aperiet coram omnibus ſuis Vocalibus, & omnium nomina in illis ſcripta ſimul cum duobus ab eiſdem Vocalibus nominatis fideliter & exactè notabit, & duos illos, qui plura habuerint ſuffragia, diſcretos eſſe declarabit, ſtatimque ſcribet ad Patrem Provincialem, qui eos monebit, ut tempore debito adſint Capitulò Generali, ſumpto à Domo ſcrutinii ſuæ electionis teſtimonio à Rectore & Secretario illius ſubſignato. Si autem contingat duos, aut plures æqualem habere ſuffragiorum numerum, antiquior profeſſione ex illis cenſebitur diſcretus; cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Franciſcus, pro firmiori & ſtabiliori illius obſervatione & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſideret.

Nos ipſum Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, aut cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, *præinſertam formam à memorato Capitulo Generalis pro electione diſcretorum Vocalium Capituli Generalis Congregationis præfatæ factam & ſtabilitam, ut præfertur; authoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus,*

Eadem forma authoritate Apoſtolica confirmatur.

mus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, & omnes, & ſinguli juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, perpetuò, & inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, ejuſque Provinciarum, ac Domorum quarumlibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis, ſtatutis, ac conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque: Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die duodecima Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno octavo.

S. Ugolinus.

BRE-

B R E V E
ALEXANDRI VII.

Datum die xxv. Junii An. MDCLXIV.

P R O

Forma, & tempore celebrandi Capitula Generalia, & Provincialia.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Paſtorale faſtigium, meritis licet imparibus, Divina diſpoſitione evecti, fęlici Congregationum virorum pietatis officiis aſſiduè incumbentium regimini & gubernio libenter intendimus, ut Congregationes ipſæ laudabilibus ſuis inſtitutis inhærentes, proſperioribus in dies (benedicente Domino) proficiant incrementis. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Aujas Presbyter, & Procurator Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quòd, juxta tenorem quarumdam noſtrarum in ſimili forma Brevis litterarum anno 1659. emanatarum, quibus cavetur, ut Capitulum Generale dictæ Congregationis cum præſcripto numero Vocalium, ſingulis trienniis celebretur; menſe Septembri proximè præterito celebratum fuit Toloſæ ultimum Capitulum Generale ejuſdem Congregationis, in quo Vocales congregati, viſis inſtantiis miſſis à Provinciis ipſius Congregationis, ſupplicantibus, ut Capitula Provincialia, quæ

Digitized by Google

in Capitulo Generali præcedenti, Avenione Anno 1660. habito, ſuppreſſa fuerant, reſtituerentur, & in unaquaque Provincia ſingulis trienniis more ſolito intra menſem Septembris, vel Octobris celebrarentur, reque maturè, diſcuſſa, *& attenta facultate Conſtitutiones condendi, ac conditas pro rerum, ac temporum qualitate variandi, & alias de novo edendi, Præpoſito Generali cum conſenſu Capituli Generalis ejuſdem Congregationis à fælicis recordationis Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro anno* 1647. *conceſsâ*.

Decreverunt reſtituenda eſſe cuilibet Provinciæ Congregationis hujuſmodi ſua Capitula Provincialia ſingulis trienniis, ut hactenus, celebranda intra menſem Septembris, vel Octobris; quòd quidem Decretum, abſoluto præfato ultimo Capitulo Generali, in unaquaque Provincia ipſius Congregationis executioni demandatum fuit; & poſtmodùm in eodem ultimo Capitulo Generali decretum fuit, attentis reſtitutione Capituli Provincialis in qualibet Provincia ſingulis trienniis celebrandi hujuſmodi, ac propagatione dictæ Congregationis, quæ (benedicente Domino) in dies extendit ramos ſuos, nec non diſtantia locorum & Provinciarum, tùm etiam plurimo fructu, qui ex frequentiori viſitatione Præpoſiti Generalis provenit.

Nobis eſſe ſupplicandum, ut, non obſtantibus litteris noſtris præfatis anno 1659. expeditis ſuper celebratione Capituli Generalis in dicta Congregatione ſingulis trienniis facienda, dignaremur concedere, quòd in poſterùm, poſtquàm Capitulum Generale proximum; anno ſcilicet 1666. celebratum fuerit in præfata Congregatione, ſingulis tantùm ſexenniis celebretur Capitulum Generale loco, & tempore à Præpoſito Generali ipſius Congregationis aſſignando, & cum præſcripto jam à nobis per noſtras litteras præfatas numero Vocalium, quibus adjungatur Vicarius Generalis cum electus fuerit, tùm etiam, ut duo diſcreti, unus Rector, & alius non Rector ex qualibet Provincia mittendi ad

Ca-

Digitized by Google

Capitulum Generale, eligantur in Capitulo Provinciali immediatè præcedenti Capitulum Generale, non obſtante forma per alias noſtras pariter in forma Brevis die 12. Auguſti 1662. confirmata, ac demùm, ut eveniente obitu Præpoſiti Generalis, is qui defuncti vices geret, *ex præſcripto Conſtitutionum dictæ Congregationis*, non expectato ſexennio prædicto, teneatur intra ſex menſes convocare Capitulum Generale, in quo ſi ante illius celebrationem non præceſſerit Capitulum Provinciale in Provinciis, interveniant iidem duo diſcreti, qui præcedenti Capitulo Generali interfuerint. Idcircò prædictus Franciſcus Procurator Generalis, nomine memoratæ Congregationis, nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ejuſdem Congregationis utilitati, quantùm cum Domino poſſumus, ſalubriter conſulere, dictumque Franciſcum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quâvis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon prædictarum Litterarum tenores Præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, *Ut de cæterò Capitula Provincialia in qualibet Provincia dictæ Congregationis ſingulis trienniis intra menſem Septembris, vel Octobris, ſicut præmittitur, habeantur; Capitulum verò Generale ipſius Congregationis, poſt celebrationem proximè futuri Capituli Generalis Anno 1666. faciendam, ſingulis tantùm ſexenniis celebretur loco & tempore à Præpoſito Generali ejuſdem Congregationis deſignandis, & cum præſcripto jam à Nobis, per Litteras primò datas, numero Vocalium, quibus Vicarius*

Forma, & tempus celebrandi Capitula Generalia, & Provincialia præſcribuntur.

rius

rius Generalis Congregationis hujuſmodi, cum electus fuerit, adjungatur. Prætereà ut duo Diſcreti, unus ſcilicet Rector, & alius non Rector ex qualibet Provincia mittendi ad Capitulum Generale, in Capitulo Provinciali immediatè præcedenti Capitulum Generale eligantur. Eveniente autem obitu Præpoſiti Generalis dictæ Congregationis, is qui defuncti vices geret, ex præſcripto Conſtitutionum ejuſdem Congregationis, non expectato ſexennio, teneatur intra ſex menſes convocare Capitulum Generale, in quo, ſi ante illius celebrationem non præceſſerit Capitulum Provinciale in Provinciis, interveniant iidem duo Diſcreti, qui præcedenti Capitulo Generali interfuiſſe reperientur, autoritate Apoſtolicâ, tenore Præſentium, concedimus & indulgemus, ac ſtatuimus, & ordinamus.

Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis, per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis autoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus Litteris præfatis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec-non dictæ Congregationis, ejuſque Provinciarum quarumlibet, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis aliâ firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores Præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice ſpecialiter duntaxat & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

que. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ Præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die xxv. Junii 1664. Pontificatûs noſtri anno decimo.

S. Ugolinus.

BREVE
CLEMENTIS X.

Datum die 11. Maii An. MDCLXXIII.

PRO

Prorogatione Capitulorum ejuſdem Anni.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Guillelmus Barrault Præsbiter Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Galliarum, & dilecti etiam filii Præpoſiti Generalis dictæ Congregationis in Romana Curia Procuraror, quod cùm Provincialia, & Generale Capitula ejuſdem Congregationis propter impedimenta tunc allata celebrari prout debebant

bant

bant minimè poſſent, eorum celebratio ad ſex menſes à xxxi. Octobris proximè præteriti computandos, Apoſtolicâ authoritate prorogata fuit. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, eadem impedimenta adhuc durent; dictorum verò ſex menſium finis immineat: Nobis propterea dictus Guillelmus humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſius Guillelmi votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, cumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris,& pœnis, a jure, vel ab homine, quâvis occaſione,vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium Præpoſitorum, conſilio, *Celebrationem Capitulorum Congregationis præfatæ, ad ſex menſes prorogatam, ut præfatur, ad alios ſex menſes tantùm à fine prædictorum ſex menſium numeruados, dictâ autoritate, tenore Præſentium prorogamus pariter, ac extendimus & ampliàmus.*

Prorogatio Capitulorum An. 1673. conceditur ad ſex menſes.

Decernentes eaſdem præſentes Litteras firmas, validas & efficaces exiſtere,& fore, ſuoſque plenarios,& integros effectus ſortiri,& obtinere, ac illis ad quos ſpectat & ſpectabit in futurùm in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari,& ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate, ſcienter,vel ignoranter attentari contigerit, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, &

Ordi-

Digitized by Google

Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores Præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die ſecunda Maij, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, Pontificatûs noſtri anno tertio.

I. G. Sluſius.

Digitized by Google

BREVE
CLEMENTIS X.

Datum die IV. Aprilis An. MDCLXXIV.

PRO

Servando tempore ſolito celebrationis Capitulorum, non obſtante Prorogatione præcedentium.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Guillelmus Barrault Presbyter, & Procurator Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quod cum fel. rec. Alexander PP. VII. Prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis Litteras anno 1664. expeditas ſuper celebratione Capitulorum Provincialium & Generalium dictæ Congregationis, ſtatuerit ut Capitula quidem Provincialia hujuſmodi ſingulis trienniis intra menſem Septembris, vel Octobris; Generale verò ſingulis ſexenniis, tempore per Præpoſitum Generalem ejuſdem Congregationis deſignando, reſpectivè celebrarentur; verùm poſtrema Capitula tàm Provincialia, quàm Generale Congregationis præfatæ, quæ anno 1672. celebranda erant, tempore debito, propter notabile impedimentum, ob quod a Nobis conceſſa fuit eorum prorogatio, congregari non potuerint, ac proindè demum intra menſes Maii, Iunii, & Iulii anni proximè præteriti 1673. celebrata fuerint;

Digitized by Google

rint; in Capitulo Generali ſic noviſſimè celebrato, ſub noſtro, & hujus S. Sedis beneplacito, decretum fuit, ut computando tempus triennii a menſe Septembris, vel Octobris dicti anni 1672. quo dicta poſtrema Capitula Provincialia celebranda fuiſſent, proximè futura intra menſem Septembris, vel Octobris anni 1675. celebrentur; & computando tempus ſexennii ab eodem anno 1672. quo Capitulum Generale poſtremum huiuſmodi celebrandum erat, proximè futurum celebretur anno 1678. more ſolito, perinde ac ſi nullum interveniſſet impedimentum, nullaque prorogatio. Quare dictus Guillelmus Procurator Generalis, nomine Capituli Generalis huiuſmodi noviſſimè celebrati, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſius Guillelmi Procuratoris Generalis votis in præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venenerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, conſilio, attentis narratis, *Auctoritate Apoſtolica, tenore Præſentium, Indulgemus, ut Capitula Provincialia proximè futura Congregationis præfatæ intra menſem Septembris, vel Octobris anni* 1675. *juxta præſcriptum memoratum Alexandri prædeceſſoris Litterarum, nec non ipſius Congregationis Conſtitutionum celebrentur; Capitulum verò Generale intra annum* 1678. *tempore, & loco a Præpoſito Generali dictæ Congregationis deſignandis, ad limi-*

Tempus ſolitum celebrationis Capitulorum ſervandũ declaratur, non obſtante prorogatione præcedentium.

limites earumdem Alexandri Prædeceſſoris Litterarum, itidem celebretur, ac ſi nulla prorogatio interfuiſſet, ac non obſtante, quod triennium dictorum Capitulorum Provincialium, & ſexennium Capituli Generalis reſpectivè abſoluta non fuerint.

Decernentes eaſdem præſentes Litteras firmas, validas, efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris. Die quarta Aprilis 1674. Pontificatûs noſtri Anno quarto.

I. S. Sluſius.

BRE-

Digitized by Google

BREVE CLEMENTIS X.

Datum die VI. Junii An. MDCLXXVI.

PRO

Confirmatione, Interpretatione, & Ampliatione Brevis Alexandri VII. dati die 26. Septembris An. 1659.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUdum a fœlic. record. Alexandro Papa VII. Prædeceſſore noſtro emanarunt, ad favorem Congregationis Clericorum Sęcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, Litteræ in ſimili forma Brevis, tenoris qui ſequitur, Videlicet.

ALEXANDER PAPA VII.

Brevia Alex. VII. datum die 26. Septembris An. 1659.

Ad perpetuam Rei Memoriam. Sacroſancti Apoſtolatûs Officium humilitati noſtræ per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam impoſitum poſtulat, ut Congregationum virorum in Eccleſia Dei piè, prudenterque inſtitutarum, uberesque bonorum operum fructus aſſiduè producentium, ſtatui & utilitati, opportunis rationibus conſulere ſtudeamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Expo-

Digitized by Google

Exponi ſiquidem nuper Nobis fecit dilectus filius Franciſcus Aujas Presbyter, ac Procurator Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quod eadem Congregatio anno 1647. à fœlicis recordationis Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis Litteras, a Congregatione Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupatorum ſeparata fuit, & pro futuris inde temporibus Sæcularis remanſit, atque ita uſque in hodiernum diem perſeveravit; ſed ex eo ſtatu plurima paſſa eſt & patitur incommoda; nam licet plurimi a prædicto anno 1647. citra poſtulaverint, & adhuc hodie poſtulent in eamdem Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ admitti, allecti vita exemplari illius perſonarum, & aſſiduis pietatis officiis in Inſtituto docendi Doctrinam Chriſtianam, tàm in Miſſionibus, quàm in Civitatibus, quibus indeſinenter incumbit, cum plurimo animarum fructu, *ut publica fama eſt, & patet ex quàmplurimis atteſtationibus authenticis, tàm Epiſcoporum quàm Civitatum, in quibus ipſa Congregatio Humaniores, Sacraſque Litteras in Academiis publicis docet*; ſæpe tamen accidit ut non pauci, nullis ligati vinculis perpetuis, poſtquam Congregatio hujuſmodi plurimùm temporis & multas expenſas in eis alendis, formandis & educandis, tùm in Inſtituto præfato, tùm in ſcientiis acquirendis, conſumpſerit, exiſtimans ſe habere operarios, qui poſſint attendere obligationibus & exercitiis, quibus ipſa Congregatio ex illo operariorum diſceſſu non levia ſentiat detrimenta; cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, univerſa Cnngregatio Doctrinæ Chriſtianæ hujuſmodi, quò incommodis, & detrimentis prædictis remedium adhibeatur, ipſaque Congregatio obligationibus ſuis ſatisfacere, & ex laudabili ſuo Inſtituto, cum majori operariorum numero animarum ſaluti, & culturæ vineæ Domini vacare valeat, , ſe firmo aliquo ſtabilimento à Nobis muniri ſummoperè deſideret, cumque plu-

plures in dictam Congregationem à præfato anno 1647. uſque in præſentem diem admiſſi fuerint, qui jam expleverunt in ea integrum annum probationis, eoque expleto, miſſi ſunt à Superioribus in diverſa Collegia, & Domos ejuſdem Congregationis, ad exercenda diverſa Officia, a quibus revocare, & in unum locum eos omnes congregare ad novam annuam Probationem faciendam eſſet admodum difficile, & in eo faciendo prædicta Congregatio grave damnum pateretur; Nobis propterea memoratus Franciſcus, ſupradictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ nomine, humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ejuſdem Congregationis votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, dictumque Franciſcum à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, *perſpecta narratorum Veritate, ac attentis, & viſis per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitos, Mandatis ſpecialibus, & liberis conſenſibus, à ſingulis Domibus & Collegiis prædicta Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, per ſecreta ſuffragia Capitulariter præſtitis, ad infra ſcripta petenda factis in perſona dicti Franciſci Aujas Sacerdotis, & Procuratoris ejuſdem Congregationis*; Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, benignè indulgemus, pro majori ſtabilimento & conſervatione prædictæ Congregationis.

Ut firmis manentibus omninò ſecundùm univerſum tenerem,

Breve Innoc. X. ann. 1647. confirmatur.

norem, fælic. record. Innocentii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri Litteris in ſimili forma Brevis, ſuper negotiis præfatæ Congregationis emanatis, ſub die 30. Julii 1647. & ſervatà, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium, à ſingulis ejuſdem Congregationis, tàm præſentibus quàm futuris, eadem omninò habitûs forma, qua de præſenti in omnibus ſuis Collegiis & Domibus utitur dicta Congregatio; omnes tàm qui in eamdem Congregationem poſt dictas Litteras jam ſunt admiſſi, quàm qui in futurum admittentur, expleto Probationis anno, ſi idonei judicati fuerint, *emittant tria Vota ſimplicia, Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis, nec-non Votum, ſeu Juramentum in eadem Congregatione perſeverandi*, non Diſpenſandum, vel relaxandum à quocumque alio, etiam vigore cujuſcumque Indulti; niſi à ſolo Romano Pontifice, aut à Capitulo Generali, vel Definitorio memoratæ Congregatinnis.

Habitûs forma præſcribitur.

Vota ſimplicia conceduntur.

Facultas datur, ut omnes Clerici promoveri poſſint ad ſacros Ordinos ſub titulo Congregationis.

Cum facultate, *ut omnes ejus Clerici, poſt Vota emiſſa, & Juramentum ut ſuprà præſtitum, de licentia Præpoſiti Generalis, vel Provincialis, ad omnes ſacros & Presbyteratûs Ordines, ſervatis ſervandis, promoveri valeant, ad titulum prædictæ Congregationis*, & Ordinari à quocumque Catholico Antiſtite ad omnes Ordines, *cum ſolis Dimiſſoriis illius Epiſcopi, in cujus Diœceſis exiſtunt Collegia, ſeu Domus, in quibus degunt de familia iidem Clerici*, qui ad Ordines promoveri deſiderant, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Ita tamen ut Capitulum Generale, vel Definitorium minime Diſpenſet, ſive relaxet hujuſmodi Votum, ſeu Juramentum alicui ex promotis ad Sacros Ordines, niſi ſibi priùs conſtiterit, etiam ex Litteris Teſtimonialibus Ordinarii loci, eum aliundè habere unde commodè ſuſtentari poſſit.

Quod ſi aliquis, hujuſmodi Votis & Juramento, ut præfatur emiſſis, ſine Diſpenſatione & relaxatione prævia receſſerit à dicta Congregatione, *eo ipſo remaneat ſuſpenſus*,

donec

Digitized by Google

donec hujuſmodi Diſpenſationem & relaxationem obtinuerit. Præterea ut omnes qui à prædicto anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo uſque in præſentem diem, in dictam Congregationem fuerunt admiſſi, in eaque per annum integrum in probatione ſteterunt, poſtquam per alios duos menſes in eadem probatione permanſerint, in Collegiis, vel Domibus, in quibus ad præſens commorantur, ſi alioquin habiles inventi fuerint, ad tria Vota ſimplicia, nec-non ad Votum perſeverandi perpetuò in eadem Congregatione, ut præfatur, admitti liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis, pariter indulgemus.

Suſpenſionis pœna infligitur iis, qui recedunt à Congregatione ſine diſpenſatione.

Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis Avenionenſi, vel Narbonenſi, aut dilectis Filiis eorum Officialibus, per Præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel eorum unus eaſdem Præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Clericorum Sæcularium dictæ Congregationis, ſeu alicujus eorum, aliorumve ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, fuerint requiſiti, per ſe, vel alium, ſeu alios ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum ſingulos ipſarum præſentium Litterarum effectu pacificè frui, & gaudere; non permittentes illos à quoquam deſuper indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet & rebelles, per Senten-

tias, Cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, etiam ſi opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis, non obſtantibus præmiſſis, nec-non recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis auctoritate Præſentium in Judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, & quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, ejuſque Domorum & Collegiorum hujuſmodi, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut Præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur in Iudicio, & extrà, quæ Præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima ſexta Septembris, anno 1659. Pontificatûs noſtri anno quinto.

Cum autem, ſicut dilectus Filius Guillelmus Barrault Præsbyter, ac Procurator Generalis dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Nobis nuper exponi fecit, licet Litteræ præinſertæ extunc ab omnibus, & ſingulis ejuſdem Congregationis Domibus, & Collegiis cum gaudio, & gratiarum actione acceptatæ, & executioni demandatæ extiterint,

Digitized by Google

rint, ipſaque Congregatio ab eo tempore hujuſmodi gratiis pacificè gaviſa fuerit.

Dubia orta circa Breve Alex. VII. dat. die 26 Sept. 1659.

Quia tamen in iiſdem Litteris ſit mentio de Mandatis ſpecialibus, & liberis Conſenſibus à ſingulis Domibus & Collegiis prædictæ Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ per ſecreta ſuffragia Capitulariter præſtitis, ad ea quæ per prædictas Litteras conceſſa fuerunt petenda, factis in perſona dicti Franciſci Aujas Sacerdotis, & Procuratoris dictæ Congregatioois; ſed certum eſt tametſi tunc omnes liberè conſenſerint, formam illam Conſenſuum, per ſecreta ſuffragia præſtitorum, non fuiſſe ſervatam in omnibus Domibus, & Collegiis præfatæ Congregationis, prout in dictis Litteris exprimitur, ſed tantùm in aliquibus; in aliis verò ejuſmodi Conſenſus, non per ſecreta ſuffragia, ſed palam, & clara voce coram Magiſtratu & Notario, ad id vocatis, fuit expreſſus, *Ideo quidam dubitent de Validitate earumdem Litterarum, & conſequenter de Validitate Votorum*, cæterorumque omnium in ipſis Litteris contentorum: *Quin imò aliæ quoque nonnullæ circa dictas Litteras ortæ ſint difficultates, ob quas dicta Congretio plurimùm turbatur*; & ut tanto malo per opportunum remedium ſubveniretur, in Capitulo Generali ipſius Congregationis noviſſimè celebrato Decretum fuerit, ut deſuper ad Nos, & hanc Sanctam Sedem recurreretùr, Nobis propterea dictus Guillelmus Procurator Generalis ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur paci & quieti dictæ Congregationis, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, laudabiliaque illius Clericorum ſtudia confovere, & ipſius Guillelmi Procuratoris Generalis votis favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi

quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum, qui preces dicti Guillelmi Procuratoris Generalis maturè diſcuſſerunt atque examinarunt, conſilio, *præinſertas Alexandri Prædeceſſoris Litteras validas eſſe, & fuiſſe, nulloque ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio laborare*, licet illa forma Conſenſuum, per ſecreta ſuffragia præſtitorum, ſervata non fuerit in ſingulis Domibus, & Collegiis dictæ Congregationis, ſed in quibuſdam tantùm; in aliis verò, non per ſecreta ſuffragia, ſed palam, & intelligibili voce, coram Magiſtratu, & Notario, ad id vocatis, expreſſus fuerit hujuſmodi Conſenſus, Authoritate Apoſtolica, tenore Præſentium, declaramus.

Breve Alex. VII. dat. die 26 Sept. an. 1659. confirmatur.

Et quia per eaſdem Litteras cavetur expreſſè, quod omnes in dictam Congregationem admiſſi, & in futurum admittendi, emitterent tria Vota ſimplicia; Obedientiæ, & Caſtitatis, & Paupertatis, nec-non Votum, ſeu juramentum in eadem Congregatione perpetuò perſeverandi, non diſpenſandum, vel relaxandum à quocumque alio, etiam vigore, cujuſcumque Indulti, niſi à ſolo Romano Pontifice, aut Capitulo Generali, vel Definitorio memoratæ Congregationis. Nos omnem dubitandi occaſionem tollere cupientes, *Diſpenſationem dicti Voti, ſeu Juramenti perſeverandi in dicta Congregatione, etiam Diſpenſationem ſuper tribus aliis Votis ſimplicibus, Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis hujuſmodi includere; dicta verò Vota, conjunctim, vel diviſim, à nullo alio diſpenſari, vel commutari poſſe, vigore cujuſcumque dignitatis, ſeu auctoritatis, Indulti, Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, ſeu alterius Privilegii, aut Officii, niſi in ipſis facta fuerit ſpecialis, & expreſſa men-*

Diſpenſatio juramenti perſeverandi in Congreg. includit Diſp. alior. votorum.

Facultas diſpenſandi reſtringitur.

Digitized by Google

mentio dictorum Votorum, ſeu Juramenti, in eadem Congregatione emiſſorum.

Capitulum autem Generale, ſeu Definitorium dictæ Congregationis poſſe diſpenſando dimittere ex ipſa Congregatione eos, qui ob ſua demerita notabilia, ſeu propter incorrigibilitatem, judicio ipſius Capituli Generalis, ſeu Definitorii, id promeruerint, etiamſi dimitti non poſtulent, ſeu nolint, Auctoritate & tenore præfatis, pariter declaramus.

Diſpenſari, & à Congreg. dimitti poſſunt, etiam nolentes.

Statuentes, & Ordinantes, ut Clerici dictæ Congregationis, quibus, poſt Vota emiſſa, & Juramentum, ut ſuprà, præſtitum, de licentia Præpoſiti Generalis, vel Provincialis, Sacros, etiam Presbyteratûs Ordines, ad titulum prædictæ Congregationis, ſuſcipiendi facultas per Litteras præinſertas conceſſa eſt, ut præfertur, *etiamſi Titulum aliundè habeant, ſine hujuſmodi licentia Præpoſiti Generalis, vel Provincialis, Ordinari non poſſint, ſub pœnâ ſuſpenſionis ipſo facto incurrendâ.*

Pœna ſuſpenſionis infligitur iis, qui Ordinantur ſine licentia Generalis vel Provincialis.

Porrò, cum per eaſdem Alexandri Prædeceſſoris Litteras cautum reperiatur, quod ſi aliquis, hujuſmodi Votis, & Juramento, ut præfertur emiſſis, ſine diſpenſatione, & relaxatione prævia receſſerit à dicta Congregatione, eo ipſo remaneat Suſpenſus, donec hujuſmodi diſpenſationem, & relaxationem obtinuerit; eâdem authoritate, harum ſerie, ſimiliter declaramus. *Ejuſmodi Clericos eſſe, & fore verè ſuſpenſos, ſtatimatque ſubtrhaxerint ſe Obedientiæ Superiorum ejuſdem Congregationis, licet Habitum ipſius Congregationis retineant.* Ac, juxta ea, quæ ut præfertur, declaravimus, ac ſtatuimus, & ordinavimus, præinſertas Alexandri Prædeceſſoris Litteras opportunè extendimus & ampliamus.

Eadem pœna infligitur iis, qui Obedientiæ Superiorum ſe ſubtrahunt, etiam non dimiſſo Habitu.

Decernentes ipſas præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces, exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat,

ctat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec-non omnibus & ſingulis illis, quæ in præinſertis Alexandri Prædeceſſoris Litteris conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die ſextâ Junii. Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Pontificatûs noſtri an. ſeptimo.

S. Sluſius.

BRE-

BREVE
INNOCENTII XI.

Datum die VIII. Novemb. An. MDCLXXXVII.

PRO

Subrogandis Diſcretis Capituli Generalis per Definitorium in locum deficientium.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper, ad inſtantiam dilecti filii Claudii Verger Procuratoris Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, emanarunt à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum præpoſita, duo Decreta, tenoris qui ſequitur, videlicet.

Cum aliàs, ad inſtantiam Franciſci Aujas Presbyteri & Procuratoris Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, S. M. Alexander ſeptimus, in ſuis in forma Brevis expeditis Litteris ſub datum 25. Junii 1664. inter cætera diſpoſuerit, quod de cætero Capitula Provincialia in qualibet Provincia dictæ Congregationis ſingulis trienniis intra menſem Septembris, vel Octobris habeantur; Capitulum verò Generale ipſius Congregationis ſingulis tantùm ſexenniis celebretur loco & tempore à Præpoſito Generali ejuſdem Congregationis deſignandis, & cum præſcripto per alias Sanctitatis Suæ Litte-

ras

ras numero Vocalium, quibus Vicarius Generalis Congregationis hujuſmodi, cum electus fuerit, adjungatur; & ulteriùs ut duo Diſcreti, unus ſcilicet Rector, & alius non Rector, ex qualibet Provincia mittendi ad Capitulum Generale, in Capitulo Provinciali immediatè præcedenti Capitulum Generale, eligantur: eveniente autem obitu Præpoſiti Generalis dictæ Congregationis, is qui defuncti vices geret, ex præſcripto ejuſdem Congregationis Conſtitutionum, non expectato ſexennio, teneatur intra ſex menſes convocare Capitulum Generale, in quo, ſi ante illius celebrationem non præceſſerit Capitulum Provinciale in Provinciis, interveniant iidem duo Diſcreti, qui præcedenti Capitulo Generali interfuiſſe reperientur, prout, in dictis Litteris latiùs continetur.

Non levis orta eſt in dicta Congregatione dubitatio, quinam ſcilicet Diſcreti Provinciarum intervenire debeant Capitulo Generali, ſi non unus tantùm Præpoſitus Generalis, ſed duo, vel plures ſucceſſivè Præpoſiti Generales moriantur, & ante celebrationem Capitulorum Generalium non præceſſerit Capitulum Provinciale in Provinciis: Quique pariter Diſcreti eidem Capitulo Generali intereſſe debeant, in caſu, vel ultroneæ abdicationis, & renuntiationis, vel privationis officii Generalatûs, aut ex quocunque alio capite deficientiæ unius, vel plurium ſucceſſivè Præpoſitorum Generalium ante celebrationem Capituli Provincialis in Provinciis.

Cumque preces ſuper prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro per Claudium Verger Procuratorem Generalem ejuſdem Congregationis porrectæ, per Sanctitatem Suam ad Sacram Congregationem S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitam, examinandæ remiſſæ fuerint.

Decretum Sac. Congr. circa Eadem Sacra Congregatio, referente Eminentiſſimo Cardinale *Norfolche*, die 13. Junii 1687. cenſuit, & declara-

claravit, diſpoſita in præfatis Litteris S. M. Alexandri ſeptimi circa interventum Capitulo Generali duorum Diſcretorum, qui præcedenti Capitulo Generali interfuiſſe reperirentur, quoties ſecuto obitu Præpoſiti Generalis ante celebrationem Capituli Generalis non præceſſerit Capitulum Provinciale in Provinciis, intelligenda eſſe, & quatenus opus ſit, extendenda tàm ad caſum in quo non unus tantùm Præpoſitus Generalis, ſed duo, vel plures ſucceſſivè Præpoſiti Generales moriantur, & celebrationem Capitulorum Generalium non præceſſerit Capitulum Provinciale, quàm ad caſum ultroneæ abdicationis & renunciationis, vel privationis, vel deficientiæ, ex quacumque alia cauſa unius, vel plurium ſucceſſivè Præpoſitorum Generalium ante celebrationem Capituli Provincialis in Provinciis; & ſuper prædictis poſſe, ſi Sanctitati Suæ placuerit, expediri novas Litteras in forma Brevis.

Diſcretos Capituli Generalis, in caſu mortis, vel deficientiæ Præp. Gener.

Cumque ſubinde præfatus Claudius Verger Procurator Generalis eidem Sacræ Congregationi ſupplicaverit, ut declarare dignaretur quomodò ſuppleri debeant voces, & numerus Vocalium præſcriptus in Capitulis Generalibus, & enarratis Litteris in forma Brevis à S. Memoriæ Alexandro VII. emanatis de anno 1664. ſi aliquis, vel aliqui ex Diſcretis electis in Capitulis Provincialibus Generale Capitulum immediatè præcedentibus, obierint, vel alio quocumque modo defecerint, ſive in Provinciales, vel ad aliud majus Officium jus ferendi Votum in Capitulo Generali habentes, aſſumpti fuerint.

Eadem Sacra Congregatio, ſub die vigeſima ſecunda Auguſti ejuſdem anni, cenſuit, & decrevit, tribuendam, prout præſentis Decreti vigoris tribuit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, facultatem Definitorio Generali dictæ Congregationis, dictis in caſibus, alium, vel alios Diſcretos ſubrogandi & ſubſtituendi in prædictorum locum, eodem planè modo, quo ſubrogantur & ſubſtituuntur in vim

Decretum Sac. Congreg., quo facultas datur Definitorio Generali ſubrogandi Diſcretos Capituli Generalis in locum deficientium.

Digitized by Google

Conſtitutionum ejuſdem Congregationis Officiales majores, quoties contingit obitus aliquorum ex iiſdem Officialibus majoribus. Romæ. G. Cardinalis Carpineus.

Loco ✠ Sigilli. *B. Panciaticus Secretarius.*

Cum autem, ſicut dictus Claudius Nobis nuper exponi fecit, ipſe duo Decreta hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant & ſerventur exactiùs, Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret.

Nos ipſius Claudii Procuratoris Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolvendum, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, *duo Decreta præinſerta*, *Authoritate Apoſtolica*, *tenore Præſentium*, *approbamus*, *& confirmamus*, *illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus*.

Duo Decreta ſupradicta confirmantur.

Decernentes eaſdem Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper eis à quoquam, quavis Authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Congregationis Clericorum Sæcularium hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, Statutis ac conſue-

conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores Præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die octavâ Novembris. Anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo. Pontificatûs noſtri anno duodecimo. *I. F. Albanus.*

BREVE
INNOCENTII XI.

Datum die XVIII. Auguſti An. MDCLXXXVIII.

PRO

Erigendâ Confraternitate Doctrinæ Chriſtianæ in ſingulis Domibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX commiſſæ Nobis cœlitùs diſpenſationis munere, pietatis, & Chriſtianæ Charitatis opera ubique locorum cum Divini cultûs incremento exerceri cupientes Chriſtifideles quoſcumque, ut ad illa exercenda promptiores red-

dantur, ſpiritualium gratiarum donis invitamus, prout ad Chriſtianam propagandam Religionem, & animarum ſalutem procurandam conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Piis itaque Dilecti Filii Claudii Verger Procuratoris Generalis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Galliarum votis, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati.

Erectio Confraternitatis Doctrinæ Chriſtianæ, & ejus Privilegia.

Ut in quacumque Eccleſia præfatæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Galliarum, cujuſvis Civitatis, Oppidi, ſeu loci ubicumque exiſtentis, in quo eadem Congregatio Domum de præſenti habet, ſeu in poſterum habitura erit, una Confraternitas Chriſtifidelium utriuſque ſexûs ejuſdem denominationis, de Ordinarii licentia, erigi, ac ipſius Confraternitatis ſic erectæ Confratribus, & Conſororibus pro tempore exiſtentibus, & omnibus & ſingulis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus à fœlicis recordationis Paulo PP. V. prædeceſſore noſtro, Archiconfraternitatis ejuſdem Doctrinæ Chriſtianæ de Urbe, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis, die vj. Octobris 1607. *expeditas Litteras, (quarum tenorem Præſentibus pro expreſſo, & inſerto haberi volumus) conceſſis, ſervatâ tamen cæteroqui prædictorum Pauli prædeceſſoris Litterarum formâ & diſpoſitione, uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè poſſint, & valeant, Auctoritate Apoſtolicâ, tenore Præſentium, perpetuò concedimus, & indulgemus.*

Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & inte-

Digitized by Google

integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de non concedendis Indulgentiis *Ad Inſtar*, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, ſupradictæ Congregationis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, Statutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores Præſentibus pro plenè & ſufficienrer expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tàm in judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XVIII. Auguſti. Anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo octavo. Pontificatûs noſtri anno duodecimo.

I. F. Albanus.

SOM-

SOMMARIO DELLE INDULGENZE

CONCESSE DA SOMMI PONTEFICI

All' Archiconfraternita della Dottrina Criſtiana di Roma.

PRimieramente concede a tutti li fedeli Criſtiani dell' uno, e l' altro ſeſſo, che veramente pentiti confeſſati, e comunicati entreranno in detta Archiconfraternita per Miniſtri, Operari, e Confratri, nel primo dì del loro ingreſſo & aſcritione alla medeſima, Indulgenza plenaria, e remiſſione di tutti li peccati.

A quelli come ſopra deſcritti, che veramente pentiti, e confeſſati riceveranno il Santiſſimo SAGRAMENTO dell' Eucariſtia nella feſta, che per principale ſarà eletta dalla detta Archiconfraternita, e reſpettivamente dalle Confraternite aggregate, o d'aggregarſi, ſi concede l'iſteſſa Indulgenza plenaria.

Similmente quelli, che veramente pentiti, confeſſati, e comunicati ſi trovaranno nell'articolo della morte, ò almeno ciò fare non potendo con animo contrito invocaranno il nome di GESU' almeno con il cuore, acquiſtaranno l' iſteſſa Indulgenza plenaria.

A quei Confratri, che veramente pentiti, e confeſſati prenderanno la Santiſſima Euchariſtia una volta il meſe, ſette anni, & altrettante quarantene.

A quelli, che ſaranno cagione, che li fanciulli ſerventi, ò qualſivoglia altre perſone vadino ad imparare la Dottrina Criſtiana, concede ducento giorni d' Indulgenza.

Item,

Digitized by Google

Item, che quelli, che nei giorni delle Stationi di Roma, inſegnaranno la Dottrina nelle Chieſe, & ancor quelli, che vi anderanno per impararla, conſeguiſcano l'iſteſſe Indulgenze, che conſeguirebbono, ſe in quei giorni viſitaſſero perſonalmente le Chieſe delle Stationi.

E queſte iſteſſe Indulgenze acquiſtino i Viſitatori di detta Archiconfraternita, che per ragione del loro ufficio viſitaranno in quel Giorno quelle Scuole di detta Dottrina, che loro ſarà permeſſo di viſitare.

E parimente, a tutti, e ſinguli Maeſtri di Scuola, che ne' giorni di feſta condurranno i loro Diſcepoli alla Dottrina Criſtiana, e glie l'inſegnaranno, ſette anni d'Indulgenza.

E quelli, che l'eſplicaranno nelle loro Scuole gli altri giorni di lavoro, conſeguiranno cento giorni d'Indulgenza.

Item a i fratelli, che ne' giorni feriati in publico, ò in privato eſplicaranno la Dottrina Criſtiana, cento giorni d'Indulgenza.

Item, al Sacerdote di detta Archiconfraternita, che nella Chieſa, ò vero Oratorio di eſſa predicarà la parola di Dio, ò terrà conferenze, ancorche in tal giorno non ſia ſtato in alcuna Scuola ad inſegnar la Dottrina, ſette anni d'Indulgenza.

A tutti li Padri, e Madri di famiglia, che nelle loro Caſe, alli figliuoli, ſerventi, e famigliari dell'uno, e dell'altro ſeſſo inſegnaranno la Dottrina Criſtiana, per ciaſcheduna volta cento giorni d'Indulgenza.

Item, alli Confratri, che anderanno per la Città ad effetto di condurre Uomini, e Donne, o fanciulli ad imparare la Dottrine Criſtiana, ſette anni d'Indulgenza.

Item, a i medeſimi Confratri, che uſciranno dalla Città per inſegnarla per li Caſtelli, e Ville, dieci anni d'Indulgenza.

Item, alli medeſimi quando aſſiſteranno alle diſpute ſolite

lite a farſi nelle Scuole di detta Archiconfraternita, ducento giorni d' Indulgenza.

Item, a tutti, e ſingoli fedeli Criſtiani, che per mezza ora ſtudiaranno, o per inſegnare, o per imparare la Dottrina, cento giorni d' Indulgenza.

Item, alli Confratri, che viſiteranno gl' Infermi di detta Archiconfraternita per ogni volta, ducento giorni d' Indulgenza.

Ed accompagnando il SS. SAGRAMENTO, quando ſi porta ad alcun' Infermo, ſette anni d' Indulgenza.

Item, a i Confratri, che accompagnaranno i corpi de' Fratelli, e Sorelle defonti alla ſepoltura, e intervenendo all' Eſſequie, Anniverſarj, ed Officj, che per quelli ſi celebrano, pregaranno per l'anime loro, tre anni d' Indulgenza.

Item, ogni volta che interverranno alli Divini Officj, o alle Congregazioni publiche, o ſegrete di detta Archiconfraternita, ducento giorni d' Indulgenza.

E queſt' iſteſſa Indulgenza conſeguiranno ogni volta, che interverranno alle Proceſſioni, che dagli Ordinarj de' luoghi ſaranno preſcritte, ſotto lo Stendardo di detta Archiconfraternita.

Item, a tutti li fedeli Criſtiani dell' uno, e l' altro ſeſſo, e di qualſivoglia età ſoliti di radunarſi nelle dette Scuole per imparar la Dottrina Criſtiana, che in qualunque feſta della Beatiſſima Vergine, o altra da determinarſi da' Superiori della detta Congregazione ſi confeſſaranno, tre anni d' Indulgenza, ed a quelli che ſono abili alla Comunione ricevendo divotamente il Santiſſimo, cinque anni d' Indulgenza.

Item, in qualſivoglia giorno, che nelle Città, o Terre ſi publicarà la Congregazione, ſette anni, e ſette quarantene d' Indulgenza a tutti i Fratelli dell' uno, e l' altro ſeſſo, che veramente pentiti, ſi confeſſaranno, e comunicaranno.

Dichia-

Digitized by Google

Dichiarandoſi, che l' Indulgenze, grazie, & indulti predetti s' intendano, e ſiano conceſſe a qualſivoglia Confraternita canonicamente eretta, e da erigerſi in qualſivoglia parte del Mondo, ſubito che ſarà legitimamente aggregata, e ſecondo la forma data alle dette Aggregazioni dalla S. M. di Clemente VIII. talmente che ſenza detta Aggregazione, non partecipi in alcun modo delle grazie, & Indulgenze di ſopra eſpreſſe.

E nondimeno quando una Confraternita di detta Dottrina Criſtiana in qualche Città venga come ſopra aggregata, s' intendano, e ſiano in tutto, e per tutto aggregate l' altre dell' uno, e dell' altro ſeſſo ivi erette, e da eriggerſi dall' Ordinario del luogo, e partecipino delle medeſime Indulgenze, e grazie dette di ſopra, come più amplamente appare nel Breve di Paolo V. ſpedito ſotto li 6. d' Ottobre 1607.

Inoltre la Santità di Papa Clemente XII. nel Breve ſpedito li 27. Giugno 1735. ha conceſſo, che li adulti dell' uno, e l' altro ſeſſo aſſiſtendo alli Catechiſmi, che per eſſi ſi fanno, ed anche quelli, che inſegnaranno, acquiſtino ogni e ſingole volte, che vi aſſiſteranno, o inſegnaranno confeſſati, e comunicati ſette anni, ed altrettante quarantene.

Item a quelli adulti dell' uno, e l' altro ſeſſo, che frequenteranno il pio coſtume di aſſiſtere, o pure d' inſegnare il medemo Catechiſmo poſſino acquiſtare Indulgenza Plenaria, e remiſſione de' Peccati nelli giorni della Natività di N. S. Gesù Criſto, Paſqua di Reſurrezione, e nella Feſta de' SS. Apoſtoli Pietro, e Paolo.

Nicola Antonio Cuggiò Segr.

M BRE-

BREVE
BENEDICTI XIII.

Datum ſub die VIII. Septemb. An. MDCCXXV.

PRO

Unione Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Neapolitanæ cum Congregatione Avenionenſi ejuſdem nominis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ILlius, cujus ineffabili bonitate, & providentia ſtant, & reguntur univerſa, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, ad ea peculiaris vigilantiæ noſtræ curas, propenſiſſima charitate cunvertimus, quæ fælici, proſperoque ſtatui, & regimini Congregationum piorum virorum propriæ, alienæque ſaluti laudabiliter incumbentium, ac uberes bonorum operum fructus, aſpirante divina gratia proferre jugiter ſatagentium, conducibilia fore in Domino arbitramur.

Cum itaque, dum Cardinalatûs honore fungebamur, ſæpius nobiſcum animo reputaremus, quod ſi Congregatio Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ, quæ in Regno Neapolis conſiſtit, nec mediocriter aliquot ab hinc annis, aucta, ac propagata dignoſcitur, alteri ejuſdem nominis, & Inſtituti Congregationi, in Civitate Avenionenſi exiſtenti uniretur, ambæque Congregationes hujuſmodi

Digitized by Google

modi in unum corpus conjungerentur, non modicum indè utraque Congregatio, illiuſque commune Inſtitutum ſuſciperet incrementum; & inter ipſarum Congregationum profeſſores, charitatis, aliarumque virtutum ſtudia, magis, magiſque in dies florerent, & vigerent; Ac proinde ubi primùm Apoſtolatûs apicem conſcendimus, hanc unionem, quam etiam Reipublicæ Chriſtianæ proficuam fore, non immeritò ſperamus, promovendam duxerimus.

Hinc eſt, quod Nos ex Paſtoralis Officii noſtri debito, earumdem Congregationum (quarum etiam expreſſus ad id acceſſit conſenſus) fælici ſtatui, & commodis ſalubriter, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dictam Congregationem Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Regno Neapolis conſiſtentem, alteri eorumdem Clericorum Sæcularium Congregationi in præfata Civitate Avenionenſi inſtitutæ, harum ſerie perpetuò unimus, & incorporamus, itaut ex nunc, & in poſterùm unica ſit, ac eſſe cenſeatur Congregatio, quæ Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ Avenionenſis nuncupetur, unumque corpus efficiat, ac Regulas, & Conſtitutiones Congregationis in dicta Civitate Avenionenſi inſtitutæ à Sede Apoſtolica approbatas, exactè obſervet; Volentes, ut hæc unica Congregatio ex Provinciis Romana, Avenionenſi, Toloſana, & Pariſienſi conſtituatur, ipſique Provinciæ Romanæ, ultra Seminaria Spoletanum, & Mevaniæ, ſubſint Collegia Civitatis Vetulæ, Roncilionis, Sancti Martini, Ferentilli, Neapolitan., Laureti, Laureani, Sorbi, Sancti Ioannnis in Galdo, & Caſertæ, necnon Soſpitelli, & Ipporegiæ in Ducatu Sabaudiæ, ſeu Principatu Pedemontii, quæ à Provincia Avenionenſi in perpetuum diſmembramus, ac illa, & ſi quæ alia citra Montes quandocumque erigentur, dictæ Provinciæ Romanæ attribuimus;

Unio Congreg. Doctr. Chriſt. Neapolit. cum Avenionen.

Conſtitutiones Congreg. Avenionen. ab omnibus obſervandæ.

Conſtituitur Provincia Romana, eique Domus, & Collegia aſſignantur.

cætera autem Collegia, in Civitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, Villis, & Locis univerſi Status noſtri Avenionenſis, & Comitatus Venayſſini, ac Regni Galliarum, ſeu alibi ultra Montes erecta, ſeu erigenda, præfatis Provinciis Avenionenſi, Toloſanæ, & Pariſienſi reſpectivè ſubjaceant.

Vicarius Generalis Provinciæ Rom. eligendus in Capit. Generali.

Quoniam verò Præpoſitus Generalis dictæ Congregationis Avenionenſis, in Civitate Avenionenſi, vel Pariſienſi, ut plurimùm reſidebit; in Capitulo generali ſemper eligatur unus de Provincia Romana in Vicarium Generalem ejuſdem Provinciæ Romanæ, qui vocem activam, & paſſivam in Capitulis tùm Generalibus, tùm Provincialibus obtineat, cuique nova Collegia inſtituendi, aliaque pro bono dictæ Provinciæ regimine faciendi, ac gerendi opportuna, à prædicto Præpoſito Generali facultates attribuantur; ſtatuentes quod Provincialia quolibet triennio, menſe Septembri, vel Octobri: Generalia verò Capitula, de ſexennio in ſexennium, menſe Majo, vel Iunio, in Locis, & Collegiis per Præpoſitum Generalem pro tempore exiſtentem diſcretè, ac rationabiliter indicendis, celebrentur.

Quando celebranda ſint Capitula.

Electio Vicarii, & Aſſiſtentis Generaliũ Romanæ Provinc.

Ad parcendum autem ſumptibus, quibus præfata Provincia Romana modò impar eſſe noſcitur, dilectos Filios Cajetanum Cioſſum, qui prædictæ Congregationis Regni Neapolis Præpoſitus Generalis exiſtebat, in Vicarium Generalem dictæ Provinciæ Romanæ; ac Dominicum Boriglionum modernum ſupradicti Collegii Soſpitelli Rectorem, in Aſſiſtentem Generalem ipſius Congregationis Avenionenſis, uſque ad menſem Majum, aut Iunium anni 1729., quo Capitulum Generale celebrari debebit, necnon Ioannem Maſſieram, qui munere Procuratoris Generalis præfatæ Congregationis in Civitate Avenionenſi inſtitutæ hactenus functus fuit, in Superiorem Provincialem ejuſdem Provinciæ Romanæ uſque ad menſem Septembrem,

Electio Superioris Provincialis Romanæ Provinciæ.

Digitized by Google

brem, vel Octobrem prædicti anni 1729., quo tempore Capitulum Provinciale celebrandum erit, ex nunc conſtituimus, ac deputamus; ipſiſque Cajetano, & Ioanni, eorumque in Vicariatu Generali, & Provincialatu hujuſmodi Succeſſoribus, duplex votum, ſeu ſuffragium in Capitulis Generalibus concedimus, donec tamen dicta Provincia Romana expenſas pro Diſcretis ad hujuſmodi Capitula mittendis facere poſſit, in quibus tunc Vicarius Generalis, & Superior Provincialis unicum ſuffragium ferent; ac dicto Dominico ſimiliter votum in proximè futuro Capitulo Generali, ad inſtar aliorum dictæ Congregationis Avenionenſis Aſſiſtentium Generalium competat; mandamus quoque eiſdem Caietano, Ioanni, & Dominico, quatenus ipſi, & altero eorum deficiente, vel impedito, alius Clericus Sæcularis ejuſdem Provinciæ Romanæ, per ſuperſtites ex eis, aut minimè impeditos, in illius locum ſubrogandus, ac duo Conſiliarii de dicta Provincia per eos aſſumendi, infra biennium inſimul conveniant, & per ſecreta ſuffragia eligant Superiores Locales Collegiorum dictæ Provinciæ, Rectores nuncupandos, qui in Officio durare debebunt uſque ad proximè futurum Capitulum Provinciale anno 1729., ſicut præmittitur, celebrandum, ad quod Rectores dictorum Collegiorum Soſpitelii, & Ipporegiæ, propter nimiam eorum à reliquis ejuſdem Provinciæ Collegiis diſtantiam, accedere minimè teneantur, ſed ſua ſuffragia alicui ex eis, qui præfato Capitulo Provinciali intervenient, aut etiam, ſi ita eis videbitur, pro tempore exiſtenti Vicario Generali, committere ipſis licebit.

Duplex tribuitur ſuffragium Vicar. Gen. & Provinc. in Capitulo Gener.

Rectores novæ Provinciæ, à quibus ſint eligendi.

Primum Capit. Romanum celebrandum anno 1729.

Porrò eidem Congregationi per præſentem unionem ex duabus in unam coaleſcenti, ejuſque Domibus, Collegiis, & Locis, ac Superioribus, Clericis Sæcularibus, & Perſonis quibuſcumque, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis tàm temporalibus, quàm ſpiritualibus, præeminentiis, prærogati-

Confirmantur privilegia utriuſque Congreg.

gativis, honoribus, & favoribus hactenus à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & Sede Apoſtolica cuilibet ex memoratis duabus Congregationibus, quovis modo, & qualitercumque conceſſis, quæ, quatenus opus ſit, per præſentes approbamus, & confirmamus, ac de novo concedimus, uti, frui, potiri, & gaudere; illius verò Clericis, ut eorum pium, ac laudabile inſtitutum exercere, ſacras Miſſiones peragere, Congregationes, Scholas, & Academias aperire, juventutem in litterarum ſtudiis, ac diſciplinis, præſertim juxta Sancti Thomæ Aquinatis doctrinam inſtruere, de Ordinariorum licentia Chriſtifidelium Confeſſiones excipere, aliaque Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrare, verbum Dei prædicare, nova Collegia, novaſque Eccleſias ubi requiſiti, ac recepti fuerint extruere, ac inſtituere, & in eorum Eccleſiis, quas de præſenti habent, ac in poſterùm eos habere contigerit, defunctorum cadavera ſepelire, & funera celebrare, ſine tamen jurium Parochialium præjudicio, liberè, & licitè poſſint, & valeant, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus earumdem tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Datur facultas Collegia, Academias, & Eccleſias aperiendi.

Jus ſepeliendi, & funerandi conceditur.

Præterea in eorumdem Clericorum Sæcularium Domibus, & Collegiis, unum, vel plura Oratoria privata, ſeu interiores Cappellas tàm ad eorum, quàm Domeſticorum, Convictorum, Scholarum, aliarumque perſonarum etiam ad Congregationes, & conferentias ſpirituales convenientium uſum erigendi, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium etiam in Feſtis ſolemnioribus celebrandi, ac pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta eiſdem Clericis, Domeſticis, Convictoribus, Scholaribus, aliiſque Perſonis præfatis adminiſtrandi, exceptâ tamen, quoad Scholares, & ad Congregationes, ac conferentias hujuſmodi convenientes, Communione Paſchali; nec non Clericis prædictis, ubicumque ejuſdem Congregationis Collegia de præſenti inſtituta reperiuntur, & deinceps inſtituentur, etiam

Facultas erigendi Oratoria, & in eis Sacramenta miniſtrãdi.

Facultas quæſtuandi:

etiam abſque alia Ordinariorum Locorum licentiâ, liberè quæſtuandi, dummodo à ſuis Præpoſito, vel Vicario Generali, ſeu Superioribus Provincialibus, aut Rectoribus reſpectivè ad id miſſi, ſeu deſtinati fuerint; ipſiſque Præpoſito, & Vicario Generalibus, Superioribus Provincialibus, & Rectoribus, aliquot ex dicta Congregatione Presbyteros, viros probos, prudentes, & idoneos ad audiendas Presbyterorum, Clericorum, & aliarum Perſonarum prædictæ Congregationis, Domeſticorum quoque, Familiarium, & Inſervientium, ac Convictorum, Scholarium, & in eiſdem Domibus, vel Collegiis commorantium Confeſſiones deputandi, cum facultate eos etiam à cenſuris Eccleſiaſticis, occultis tamen, & Romano Pontifici, aut Sedi Apoſtolicæ minimè reſervatis, in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi; atque eiſdem Præpoſito, Vicario Generalibus, Superioribus Provincialibus, ac etiam Rectoribus, in illis Collegiis, ſeu Domibus, in quibus Superiores majores non aderunt, quæcumque vaſa, veſtimenta, paramenta, ac ornamenta Eccleſiaſtica, aliaque ad Divinum cultum, pro ſervitio Eccleſiarum ejuſdem Congregationis dumtaxat neceſſaria, & pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus ſacra Unctio adhibenda erit, benedicendi; ſimplicibus Clericis, quos Sacrariis Eccleſiarum, Oratoriorum, ſeu Cappellarum dictæ Congregationis præfici contigerit, Vaſa ſacra, abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo contrectandi, licentiam & facultatem tribuimus, & impertimur.

Facultas deputandi Confeſſores, & abſolvendi à cenſuris occultis.

Facultas benedicendi vaſa, & paramenta ſacra.

Ad hæc, volentes Eccleſias dictæ Congregationis nunc erectas, ac in poſterùm erigendas, ſpeciali dono illuſtrare; quòd quandocumque Sacerdos aliquis ejuſdem Congregationis, ſeu alius ſæcularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam defunctorum pro anima Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare majus alicujus ex dictis Eccleſiis celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur,

Privilegiantur majora omnium Eccleſiarum Altaria.

ita

ita ut Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque meritis ſibi ſuffragantibus, à Purgatorii pœnis liberetur; ac tàm ipſis Clericis ſæcularibus, aliiſque dictæ Congregationis perſonis, quàm Univerſis Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, qui aliquam ex prædictis Eccleſiis die feſto illius Sancti Titularis, ſive Patroni à primis veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hærèſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam; dictiſque Clericis ſæcularibus, nunc, & pro tempore exiſtentibus ſimilitèr pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui in aliqua ex dictis Eccleſiis, die 15. Aprilis cujuslibet anni, qua die vota ſua renovare conſueverunt, ut præfertur, oraverint, pariter plenariam.

Conceditur Indulgentia plenaria in Feſto cujuſque Titularis.

Indulgentia plenaria in die renovationis Votorum.

Inſuper, eiſdem Clericis ſæcularibus, qui exercitia ſpiritualia, & ſacras Miſſiones per aliquot dierum ſpatium peregerint, necnon Chriſtifidelibus, qui dictis exercitiis ſpiritualibus vacaverint, & ad quos dicti Clerici Miſſionarii acceſſerint, & interea verè quoque pœnitentes, & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac, ſicut præmittitur, oraverint, ſimiliter plenariam una vice dumtaxat durante tempore exercitiorum, & uniuſcujuſque Miſſionis hujuſmodi omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; ipſiſque Clericis in actu Miſſionum vota quæcumque ſimplicia (caſtitatis, ingreſsûs Religionis, viſitationis Sepulchri Dominici, Liminum Apoſtolorum, ac Sancti Jacobi Compoſtellæ exceptis) commutandi, & in fine cujuslibet Miſſionis Chriſtifidelibus ad quos acceſſerint, noſtram & Apoſtolicam benedictionem impertiendi poteſtatem tribuimus, & facultatem præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Decer-

Item vacantibus Miſſionibus & exercitiis ſpiritualibus, eiſque aſſiſtentibus

Facultas commutandi vota, & impertiendi Apoſtolicam Benedictionem in Miſſionibus.

Digitized by Google

Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quovis modo prætendentes, cujuſvis ſtatûs, gradûs, præeminentiæ, ſuperioritatis, ordinis, conditionis, & dignitatis exiſtant, etiamſi Cardinalatûs honore fulgeant, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate prædi-ti, ſeu aliàs ſpeciali, & individua mentione, & expreſſione digni ſint, illis non conſenſerint, aut de ea vocati, citati, & auditi, ſeu cauſæ propter quas præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & ſufficienter, aut nullo modo juſtificatæ fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis juſta, juridica, pia, & privilegiata cauſa, occaſione, colore, ingenio, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ; ſeu jus, vel intereſſe habentium, ſeu habere prætendentium conſenſus, aliove quovis quantumlibet magno, formali, ſubſtantiali, ac incognito, & inexcogitabili, neceſſarioque, & ſpecificam expreſſionem requirente defectu notari, infringi, impugnari, retractari, limitari, modificari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adversùs illas, & illa aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, neque ipſas præſentes litteras ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium unionum, conjunctionum, ſtatutorum, ordinationum, conceſſionum, & indultorum revocationibus, reſtitutionibus, limitationibus, derogationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos, & quoſcumque Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, Se-

N demque

demque prædictam, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, & aliàs quomodocumque, & quandocumque faciendis unquam comprehendi, & comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo ſub quacumque poſteriori data per eos ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quandocumque eligenda conceſſas intelligi, ſemperque, & perpetuò firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis, cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet; quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & juncturos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenùs opus ſit, de jure quæſito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, & de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon Lateranenſis Concilii uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, ac felic. record. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Ceneralis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis Generali-

ralibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus ac prædictarum Congregationum, & Provinciarum, illarumque Domuum, Collegiorum, & Locorum quorumvis, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Congregationibus, ſeu earum alteri, illarumque, ſeu alterius earum Superioribus, Clericis ſæcularibus, perſonis, Domibus, Collegiis, & locis quibuslibet, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie; ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, cauſas, formas, & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſertis, expreſſis, reſervatis, & ſpecificatis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè, ac pleniſſimè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. N 2 Da-

Digitized by Google

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 28. Septembris 1725. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

F. Card. Oliverius.

BREVE
BENEDICTI XIII.

ADDITIONALE BREVI UNIONIS

Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Neapolitanæ cum Avenionenſi, ab eodem Pontifice factæ

Datum ſub die 16. Junii 1727.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Unio Congregationis Doctrinæ Chriſt. Neapol. cũ Avenionenſi, facta à Bened. XIII. 28. Septemb. 1725.

CRedita nobis cœlitus diſpenſationis ratio exigit, ut paternam Chriſtifidelium quorumlibet, præſertim Chriſtianæ pietatis, & charitatis operibus, ad procurandam ſuam, & proximi ſalutem, aſſiduè incumbentium, curam gerentes, illorum ſtatui, & felici regimini, quantum nobis ex alto conceditur, conſulere, jugiter ſtudeamus. Aliàs ſiquidem Nos Congregationem Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ, quæ in Regno Neapolis conſiſtebat, alteri eorumdem Clericorum Sæcularium Congregationi, in Civitate noſtra Avenionenſi inſtitutæ, perpetuò univimus; ita

Digitized by Google

ita ut deinceps unica foret Congregatio, Avenionenſis nuncupanda, in diverſas Provincias diſtincta, pro cujus ſalubri directione, plures ordinationes edidimus; eique varia privilegia, & gratias, tum ſpirituales, tum temporales conceſſimus, & aliàs, prout in noſtris deſuper, in ſimili forma Brevis, die 28. Septembris 1725. expeditis litteris, quarum tenorem, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto, haberi volumus, pleniùs continetur. Nunc autem Nos, eamdem Congregationem ſic unitam, quò firmiùs ſubſiſtat, ac majora in dies ſuſcipiat incrementa, novis, & amplioribus favoribus & gratiis proſequi; ejuſque bono regimini, & tranquillitati proſpicere volentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie, benignè indulgemus.

Summus Pontifex bono regimini & tranquillitati Congregationis proſpiciens, motu proprio indulget.

1. Ut Præſides Capitulorum Generalis, & Provincialium ejuſdem Congregationis, illorum vocales, ab Eccleſiaſticis Cenſuris occultis, ad ipſorum Capitulorum validitatem, & in foro conſcientiæ dumtaxat abſolvere: ac tàm Capitulum Generale, numerum illius vocalium, pro tempore minuere, ſervata tamen inter Provincias æqualitate, quàm Præpoſiti Provinciales, de ſuorum Conſiliariorum conſenſu, ac annuente Definitorio, Rectores Domuum, ſeu Collegiorum dictæ Congregationis (ubi ejuſmodi Domuum, ſeu Collegiorum neceſſitas, vel utilitas exegerit) de unius Domus, ſeu Collegii regimine, ad alterius Domûs, ſive Collegii ejuſdem Provinciæ gubernium, ad tempus, quo dicti Rectores in eorum muneribus durare ſolent, pariter duraturum, transferre.

ut Præſides Capitulorum abſolvant vocales à cenſuris.

ut Capitulũ Generale poſſit minuere numerũ illius vocalium.

ut Provinciales de conſenſu ſui Conſilii, & annuente Definitorio, poſſint Rectores de gubernio unius Collegii, in alìud transferre.

Attenta verò reddituum Provinciæ Romanæ dictæ Congregationis, præſertim in præfato Regno Neapolis tenuitate, quæ tempore Unionis ejuſmodi, non ſatis innotuerat; & ad parcendum ingentibus ſumptibus, quos vix, ad

ut ElectoresProvinciæRomanæ

ob tenuitatem redditunm, poſſint ſuffragium ferre in Capitulo Generali, & Provinciali, per Procuratorem, cui duo vota tantùm, poterunt competere.

ad præſens ſufferre poſſet, ut vocales ejuſdem Provinciæ, Procuratores, qui eorum nomine, ac pro eis, Capitulis Generalibus, & Provinciali interveniant, deputare; ita tamen, ut nemo, quovis titulo, vel prætextù, pluſquam duo ſuffragia in eiſdem Capitulis habere, & ferre poſſit; & ſi quis à duobus, vel pluribus vocalibus in Procuratorem deputari contigerit, pro eo ex conſtituentibus, qui majori dignitate præcellet, & ſi dignitate pares fuerint, pro antiquiore ratione Profeſſionis in dicta Congregatione emiſſæ, ſuffragium ferat, & alii conſtituentes, jure ſuffragandi, ea vice, privati remaneant: utque Præpoſitus Generalis ejuſdem Congregationis, & quiſque Provincialis, de ſuorum Conſiliariorum, atque Rector de Præpoſiti Provincialis, ejuſque Conſilii conſenſu, adverſus ſibi ſubditos inobedientes, aut contumaces, ſeu diſcolos, ad pœnam ſuſpenſionis à divinis, procedere, ac reſipiſcentes, ab illa abſolvere, liberè, & validè poſſint, reſpectivè, & valeant.

ut Generalis, ac Provinciales de conſenſu ſui Conſilii, ſubditos inobediētes, & contumaces, à divinis ſuſpendere, & reſipiſcentes valeant abſolvere.

Porrò, cum fælicis recordationis Alexander PP. VII. Prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas in pari forma Brevis litteras, die 26. Septembris 1659. editas, inter alia, conceſſerit, quod omnes in dictam Congregationem in futurum admittendi, expleto Probationis anno, ſi idonei judicati fuiſſent, emitterent tria vota ſimplicia, Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis, nec non votum, ſeu juramentum in eadem Congregatione perſeverandi, non diſpenſandum ſeu relaxandum à quocumque alio, niſi à ſolo Romano Pontifice, aut à Capitulo Generali, vel Definitorio memoratæ Congregationis; ita quod, ipſum Capitulum Generale, vel Definitorium, minimè diſpenſaret, ſive relaxaret hujuſmodi votum, ſeu juramentum alicui, ex promotis ad ſacros Ordines, niſi ſibi priùs conſtitiſſet, etiam ex litteris teſtimonialibus Ordinarii loci, eum aliunde habere unde commodè ſuſtentari poſſet; & ſi aliquis dictis

Alex. VII. die 26. Sept. 1659. ſtatuerat Capitulum Generale ſeu Definitoriū non poſſe relaxare juramentum perſeverantiæ alicui ex promotis ad ſacros ordines, ſub titulo Congreg., niſi ſibi conſtaret eū aliunde habere unde commodè vivere poſſet.

Digitized by Google

ctis votis, & juramento, ut præfertur emiſſis, ſine diſpenſatione, & relaxatione prævia, receſſiſſet ab eadem Congregatione, eo ipſo remaneret ſuſpenſus, donec hujuſmodi diſpenſationem, & relaxationem obtinuiſſet: licetque ſubinde piæ memoriæ Clemens Papa X. Prædeceſſor etiam noſter, per ſuas litteras itidem in forma Brevis, die 6. Junii 1676. emanatas, illas Alexandri Prædeceſſoris interpretando declaraverit, Capitulum Generale, ſeu Definitorium dictæ Congregationis, poſſe diſpenſando dimittere ex ipſa Congregatione eos, qui ob ſua demerita notabilia, ſeu propter incorrigibilitatem, judicio ejuſdem Capituli Generalis, ſeu Definitorii, id promeruerint, etiamſi dimitti non poſtulent, ſeu nolint: unde ſatis apparet eundem Clementem Prædeceſſorem dictæ Congregationi modum, ac viam patefacere voluiſſe, quibus ſine ullo ejus incommodo, diſcolis, & incorrigibilibus exonerari, aut repurgari poſſet; nihilominus aliquibus non ſatis inde certum, exploratumque videatur, Capitulo Generali, ſeu Definitorio hujuſmodi, factam fuiſſe poteſtatem eos delinquentes, in pœnam ſuorum notabilium demeritorum, ſeu incorrigibilitatis, ex ipſa Congregatione dimittendi, qui ad ſacros, etiam Presbyteratus Ordines, ad titulum prædictæ Congregationis promoti fuerint, ſi aliunde non habeant, unde commodè vivere poſſint.

Clem. X. die 6. Jun. 1676. declaravit Capitulum Generale, ſeu Definitoriũ poſſe diſpenſando dimittere ex ipſa Congreg., eos, qui ob ſua demerita notabilia, ſeu propter incorrigibilitatẽ id promeruerint, etiã ſi dimitti non poſtulent, ſeu nolint.

Nos, omnem in præmiſſis dubitandi occaſionem tollere, ac ſcandala, à dicta Congregatione, quantum cum Domino poſſumus, avertere, & ſubmovere cupientes; Capitulum Ganerale, ſeu Definitorium prædictum non poſſe quidem dimittere ejuſdem Congregationis Clericos, ad Ordines præfatos ad titulum ipſius Congregationis promotos, qui ob incurabiles morbos, aliaſque etiam rationabiles cauſas dimitti poſtulant, niſi ſibi priùs conſtiterit ex litteris teſtimonialibus Ordinarii loci, in cujus Diœceſi degunt, ipſis aliundè ſuppetere, unde commodè ſuſtentari va-

Bened. XIII. in hoc Brevi ſtatuit & declarat, Capitulũ Generale, ſeu Definitorium poſſe diſpenſando dimittere ex ipſa Congreg. eos, qui ob ſua demerita notabilia, ſeu propter incorrigi-

bilitatē id promeruerint, etiā ſi dimitti non poſtulent, ſeu nolint, quamvis non conſtet eos de commoda ſuſtentatione eſſe proviſos, & ſic dimiſſi maneant ſuſpenſi, donec fuerint proviſi.

valeant; poſſe verò diſpenſando dimittere eos, ſic promotos, qui ob ſua demerita notabilia, ſeu propter incorrigibilitatem, judicio ejuſdem Capituli, ſeu Definitorii, id promeruerint, etiamſi dimitti non petant, ſive nolint, quamvis non conſtet eos aliunde habere unde commodè ſuſtententur; cum hoc tamen, ut ita dimiſſi, ab eorumdem Ordinum exercitio, tamdiu ſuſpenſi maneant, donec illorum Ordinario conſtiterit, eos de redditibus, ad congruam ipſorum ſuſtentationem ſufficientibus, proviſos fuiſſe; motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, tenore præſentium, ſtatuimus, & declaramus.

Viſitātibus Eccleſias Congreg. Doctr. Chriſt. Dominica quarta cujuslibet menſis, conceditur Indulgentia Plenaria bis in anno; in aliis verò Dominicis, ac Feſtivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Purificationis & Aſſūptionis, Indulgentia ſeptem annorum; ultra Indulgētias plenarias jam conceſſas, diebus Aňunciationis, & Sancti Titularis.

Inſuper, ad augendam Chriſtifidelium Religionem, & Animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, præter, & ultra Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quæ aliquam ex Eccleſiis dictæ Congregationis erectis, & impoſterum erigendis, diebus Feſtis Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, ac ejuſdem Eccleſiæ Sancti Titularis, ſive Patroni viſitantibus, auctoritate Apoſtolica conceſſæ reperiuntur; omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui quarta Dominica cujuslibet menſis aliquam ex Eccleſiis hujuſmodi devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam bis in anno, omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, per quemcumque Chriſtifidelium lucrifaciendam, miſericorditer in Domino concedimus: in cæteris verò anni menſibus, nec non Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, & Aſſumptionis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis feſtis diebus præmiſſa peragentibus, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias, quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta, relaxamus; quas omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœniten-

nitentiarum relaxationes, animabus Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ, ab hac luce migraverint, applicari poſſe indulgemus; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Decernentes ipſas præſentes litteras, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore, quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis, per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenùs opus ſit, Congregationis, Provinciarum, Domorum, ſeu Collegiorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus, pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima ſexta Iunii, anno milleſimo ſeptuageſimo vigeſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno IV.

F. Cardinalis Oliverius.

O BRE-

Digitized by Google

BREVE
CLEMENTIS XII.

Datum ſub die IX. Octob. An. MDCCXXXVI.

QUO

Per modum proviſionis deputatur Vicarius Generalis, & ejus Definitorium pro regimine Provinciæ Romanæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Avenionenſis

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

CRéditæ nobis divinitus Diſpoſitionis ratio poſtulat, ut Eccleſiaſticarum Perſonarum Congregationibus, ſeu Cætibus in Eccleſia Dei piè, ſanctèque inſtitutis de idoneis Superioribus, & Miniſtris, quorum opera, ac ſtudio Congregationes ipſæ, adjuvante Domino, ſalubriter dirigi valeant, interdum providere ſtudeamus ſicut rerum, locorum, temporum, & perſonarum qualitatibus perpenſis expedire in Domino arbitramur.

Cùm itaque ſicut accepimus Provincia Romana Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Avenionenſis Vicario Generali, aliiſque Officialibus, qui juxta quaſdam fæl. rec. Benedicti PP. XIII. in ſimili forma Brevis litteras eligendi, ſeu deputandi erant, nec hactenus ad præſcriptum dictarum litterarum, electi ſeu deputati

tati fuerunt, deſtituta reperiatur. Hinc eſt, quod nos felici, proſperoque ejuſdem Provinciæ regimini, & gubernio, quantum cum Domino poſſumus conſulere cupientes, ac de infraſcriptorum Provinciæ hujuſmodi Profeſſorum fide, prudentia, dexteritate, rerum uſu, charitate, vigilantiâ, integritate, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ, zelo plurimùm in Domino confiſi, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſuper hoc negotio à nobis ſpecialiter deputatorum conſilio, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Dilectos Filios Cajetanum Cioffi in Vicarium, Petrum Antonium Pellioni in Procuratorem, ac Joannem Paulum Bottoni Clericos Sæculares expreſsè profeſſos præfatæ Provinciæ Romanæ in Aſſiſtentem generales ejuſdem Provinciæ uſque ad proximum illius Capitulum Provinciale anno 1738. celebrandum cum omnibus, & ſingulis facultatibus, quas habet Præpoſitus Generalis ſupradictæ Congregationis, illiuſque Definitorium Generale reſpectivè in aliis Provinciis ipſius Congregationis, reſervata eidem Præpoſitio generali authoritate viſitandi prædictam Provinciam Romanam per ſe ipſum, vel per alium ex præfata Provincia deputandum; ita tamen, ut viſitatio hujuſmodi ultra ſpatium ſex menſium à die quo cœpta fuerit computan. durare non debeat, tenore præſentium per modum proviſionis conſtituimus, & deputamus.

Mandantes potereà in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis omnibus, & ſingulis præfatæ Provinciæ Superioribus, Clericis

Digitized by Google

Sæcularibus, & Perſonis, cæteriſque ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut memoratos Cajetanum, Petrum Antonium, & Joannem Paulum ad demandata eis reſpectivè per præſentes munera, illorumque liberum exercitium juxta earumdem tenorem præſentium recipiant, & admittant, eoſque recognoſcant, & illis in omnibus munera hujuſmodi concernentibus reſpectivè pareant, & obediant, faveantque, & aſſiſtant.

Ac decernentes ipſas præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, nec non præfatis Cajetano, Petro Antonio, & Joanni Paulo in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Provinciæ, & Congregationis præfatarum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoqoe, Indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 9. Octobris 1736. Pontificatûs Noſtri Anno ſeptimo.

Pro D. Cardinale Oliverio.
P. L. Iaquet.

BRE-

BREVE
CLEMENTIS XII.

Datum die VII. Maii An. MDCCXXXVIII.

PRO

Confirmatione quorumdam Brevium ſel. rec. Benedicti PP XIII. ſuper Unione Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Neapolitanæ cum Congregatione Avenionenſi ejuſdem nominis, & pro approbatione, ac modificatione quarumdam ſuper hac re conventionum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis munere illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris pro fælici, proſperoque Chriſtifidelium divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum ſtatu conſervando, illorumque religioſa quiete firmiter ſtabilienda piè, provideq; emanaſſe noſcuntur, ut ſolidiori robore perennent Apoſtolici muniminis noſtri præſidio, cum id à nobis petitur, libenter conſtabilimus.

Emanavit nuper à Congregatione Particulari nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrum S.R.E. Cardinalium, nempè Franciſci Barberini, Giorgii Spinolæ, Leandri Portiæ, Antonii Xaverii Gentili in locum bon. mem. Cur-

tii,

tii, dum vixit, ejuſdem S. R. E. Cardinalis Orighi nuncupati, ſubrogati, ac Joannis Antonii Guadagni, necnon Ven. Fratris Nicolai Xaverii Archiepiſcopi Athenarum, uti Secretarii cum voto, paritèr in locum Venerabilis itidem Fratris Petri Aloyſii Epiſcopi Hipponen. Secretarii in cauſa inter dilectos filios Clericos Sæculares Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Avenionenſis Provinciæ Romanæ ex una, & Provinciarum Galliæ ex altera partibus vertente à nobis deputata auditis partibus, verbo, & ſcripto informantibus in ſecunda Cauſæ hujuſmodi propoſitione reſcriptum - *Ad mentem* - mens eſt, ut nobis conſuleretur pro confirmatione quarumdam litterarum fœlicis recordationis Benedicti PP. XIII. Prædeceſſoris noſtri deſuper in ſimili forma Brevis ſuper unione, & incorporatione præfatæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Regni Neapolis, alteri Congregationi hujuſmodi Avenionen. ſub 28. Septembris 1725., & 16. Iunii reſpectivè diebus datis annorum 1727. editarum, quarum tenores præſentibus prò expreſſis, & inſertis haberi volumus, pleniùs continetur, ac prò approbatione conventionum datarum à prædictis Provinciis Galliæ in ſexdecim Capitulis comprehenſarum ab omnibus Clericis Sæcularibus de Provincia Romana ſubſcriptarum, proùt in eorumdem Clericorum utriuſque Congregationis nomine ſupplici libello nobis aliàs porrecto tenoris ſequentis, videlicet.

Deſignantur Brevia Benedicti XIII. data ſub die 28. Sept. 1725., & 16. Iunii 1727. pro unione Congreg. Doctr. Chriſt. Neapolitanæ cũ Avenionenſi.

BEATISSIME PATER.

Proponitur ſupplex Libellus porrectus S. D. N. prò confirmatione præfatæ unionis ſub quibuſdam conditionibus.

EXponit S. V. Hyacinthus de Bennoit Procurator Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, & Cajetanus Cioffi Procurator electus Provinciæ Romanæ, ſeu Neapolitanæ itidem Doctrinæ Chriſtianæ, quod fæl. rec. Benedictus XIII. Prædeceſſor veſter eidem Congregationi per litteras Apoſtolicas in forma Brevis die 28. Septembris 1725. Congregationem Clerico-

Digitized by Google

ricorum pariter Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Regno Neapolis conſiſtentem univit, & incorporavit, ut autem in Pontificatu veſtro novum decus huic unioni accedat, majorque firmitas, humillimè deprecantur S. V. iidem Oratores, ut eam prò ſua benignitate dignetur novo Brevi confirmare, ſanando in primis quod in ea infirmum eſſe poteſt ſpeciatim ex parte conſenſus Congregationis Gallicanæ, quæ poſt hac unanimi voce illum conſenſum dedit in duobus ultimis Capitulis Generalibus Lutetiæ Pariſiorum celebratis, ſimulque approbando, & Apoſtolica auctoritate confirmando ejuſmodi unionis conditiones ſequentes, quæ in eiſdem Capitulis ſtatuta ſunt de conſenſu Concilii Provincialis, Rectorum, & Domorum omnium, ſeu Collegiorum, quibus conſtat Provincia Romana per ipſam unionem erecta.

Afferuntur. Conditiones in ſexdecim Capitulis comprehēſæ, & in ſupplici libello diſtributa.

I. Congregatio Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ, quæ in Regno Neapolis conſiſtit, Congregationi Clericorum ſimiliter Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia perpetuò manebit unita, & incorporata, itaut ex nunc, & impoſterùm unica ſit ex duabus, unumque corpus, quod ſimpliciter Congregatio Doctrinæ Chriſtianæ nuncupabitur, Venerabilem Virum Cęſarem de Bus Fundatorem, & parentem agnoſcat, & Conſtitutiones dictę Congregationis in Gallia conſiſtentis obſervet.

II. Provincia Romana per unionem iſtam erecta compoſita manebit ex ſex Domibus, quibus tota conſtabat Neapolitana Congregatio, nempè Collegiis Neapolis, Laureti, Lauriani, Sorbi, S. Ioannis in Galdo, atque Caſertæ, & octo Domibus in Italia ad Congregationem Gallicanam pertinentibus & à Provincia Avenionenſi dependentibus, nempè Seminariis Spoletano, & Mevanienſi, ac Collegiis Civitatis Vetulæ, Roncilionis, S. Martini, Ferentilli, Soſpitelli, & Hipporegiæ, quæ quidem à Provincia Avenionenſi manebunt in perpetuum diſmembrata, ac dictæ Provinciæ Romanæ attributa ſicuti, & Domus, ſeu Collegium Romæ nuper erectum.

III. Pro-

Digitized by Google

III. Provincia Romana ad evitanda tot longorum itinerum incommoda, & pericula, & ne totius Congregationis expenſas pro æqualitate ſuſtinere cogatur, neminem mittet ad Capitulum Generale, nec Aſſiſtentem habebit apud Generalem, nullumque Officialem in Definitorio Generali, derogando quibuſcumque contrariis, quibus omnibus, & ſingulis eadem Romana Provincia, ſpontè, & libentèr renunciat in perpetuum.

IV. Vivet hæc Provincia ſub obedientia R.P. Generalis, qui ſumptibus quidem totius Congregationis, eam ſemel ſingulis Sexenniis poterit, vel per ſe, vel per alium electum, qui alius de hac Provincia ſumendus erit, viſitare juxtà Conſtitutiones noſtras.

V. Illius Provinciæ Romanæ regimen erit penès Vicarium Generalem cum ſuis Conſiliariis, Provincialem cum ſuis pariter Conſiliariis, & Superiores Locales, qui Rectores nuncupabuntur.

Vicarii Generalis, quatuor erunt Conſiliarii, duo ſcilicèt Aſſiſtentes, unus Provinciæ Procurator, & Secretarius unus. His quinque munere ſexennali functuris, componetur Concilium, quod Italiæ Definitorium appellabitur; Provincialis duo erunt Conſiliarii ordinarii, duobus aliis inſuper aſſumptis de conſenſu Ordinariorum ubi de judicio; aut Electione agendum erit.

VI. Singulis trienniis, menſe Majo incipiendo ab anno 1732., quo loco, ac tempore indictum fuerit à Provinciali, Vicarii Generalis nomine, & juſſu, Capitulum Provinciale celebrabitur, in quo eligentur Provincialis, ejus Conſiliarii, & denique Rectores.

In Capitulo autem Provinciali, quod immediatè Capitulo Generali proximum fuerit, eligentur præterea Vicarius Generalis, ejuſque Conſiliarii, quorum, & ſuæ electionis ad ſexennium duraturæ confirmatio ad Capitulum Generale, vel ad Definitorium Generale pertinebit, eo mo-

do,

Digitized by Google

do, quo & Provincialium, & Rectorum aliarum omnium Provinciarum Electionis confirmatio. Provincialis verò, ejus Conſiliariorum, item & Rectorum Electionem confirmare ad Vicarium Generalem, ejuſque Definitorium pertinebit.

Verùm ſi quis adſit Vicarius Generalis retro proximus ille Vicarii Generalis erit primus Conſiliarius, aut Aſſiſtens natus: ſimiliter ſi quis adſit Provincialis, retro proximus ille itidem in Concilio Provinciali primus erit Conſiliarius natus: quibus in caſibus, unus Vicarii Generalis Aſſiſtens, & unus Provincialis Conſiliarius dumtaxat eligentur.

VII. In Capitulo Provinciali vocem habebunt Vicarius Generalis, Provincialis, & Rectores, qui tamen ob maximam diverſorum Collegiorum inter ſe diſtantiam, & redditunm tenuitatem, voci ſuæ in Capitulis Provincialibus renunciare poterunt, vel per Procuratorem ſuffragari, ita tamen ut duæ tertiæ partes Vocalium iis interſint Capitulis, & nemo quovis Titulo, vel prætextu pluſquam duo Suffragia habere, & ferre poſſit.

VIII. Capitulo Provinciali, ſicut & Definitorio Italiæ præerit Vicarius Generalis, eoque vel abſente, vel infirmo Vicarius Generalis retro proximus, ſi adſit, illoque vel abſente, vel infirmo Aſſiſtens.

IX. Si quem ex Definitorii prædicti Vocalibus abeſſe contigerit, deque gravi negotio agendum ſit, alium in abſentis locum ſufficient ſuperſtites Definitorii Vocales.

X. Si vero aliquis ex dicto Definitorio Vocalis, aut aliquis Rector, aut Provincialis, aut aliquis ejus Conſiliarius obierit, aut quocumque modo defecerit, unum ex tribus à Concilio Provinciali Extraordinario nominatis in demortui, vel quocumque modo deficientis locum eligent Superſtites Definitorii Vocales: ita tamen, ut hoc in caſu ſemper ſit quinarius Eligentium numerus, quem per Electionem complebunt Vocales prædicti.

P XI. Diſ-

Digitized by Google

XI. Diſpenſatio à Votis dari non poterit, niſi vel à Summo Pontifice, aut à Capitulo Generali, aut à Generali Definitorio, juxta Breve Apoſtolicum Alexandri VII. datum 26. Septembris 1659.

XII. In reliquis Definitorium Italiæ ad Capitulum, vel Definitorium Generale recurrere non tenebitur. Nullum tamen Breve Apoſtolicum, quod ad Univerſam Congregationem pertineat, poſtulare poterit, niſi juſſu Capituli Generalis, immò neque aliud ſpectans ipſam Romanam Provinciam, niſi approbante ipſo Capitulo Generali, aut Generali Definitorio.

XIII. Poſt Brevis impetrationem convenient, Præpoſitus Provincialis cum ſuis Conſiliariis ordinariis, R. P. Cajetano Cioffi, nuper Vicario Generali, tribuſque Rectoribus Romanæ Provinciæ per eos aſſumendis, quibus ſeptem congregatis; eligetur Vicarius Generalis cum ſuis Definitoribus, duobus ſcilicet Aſſiſtentibus, uno Procuratore Provinciæ, & uno Italiæ Secretario. Iſtæ autem electiones à R. P. Generali, ejuſque Definitorio confirmatæ, durabunt uſque ad Provinciale Capitulum, quod immediatè Capitulo Generali proximum fuerit, in quo Provinciali Capitulo Vicarius Generalis, ac ejus Definitores pro alio ſexennio eligentur.

XIV. Quod ſi benedicente Deo, alia in Italia aliquando ſit erigenda Provincia, non poterit omninò illud fieri, niſi conſulto, & approbante Capitulo Generali, aut ſi res moram non patiatur, neque poſſit ſine detrimento prædicti Capituli tempus expectari, conſulto, & approbante Definitorio Generali, cum conſenſu tamen Conſilii extraordinarii omnium Congregationis Provinciarum, ac Generalis Capituli ſequentis confirmatione.

Quo adveniente, ut nova ſcilicet, Provincia erigatur, ejus Provincialis cum ſuis Conſiliariis, & Domorum Rectores in Provinciæ Romanæ Capitulo eligentur; quod ſi tunc

Vica-

Digitized by Google

Vicarius Generalis, ejuſque Definitores ſuum ſexennium impleverint, alia fiet electio, & Vicarii Generalis, & unius Aſſiſtentis ex utraque Provincia, & Procuratoris, & Secretarii, quorum alteruter ex nova Provincia deſumetur, ut ſint duo pro qualibet Provincia vocales.

XV. Deinceps tertio quoque anno in nova illa Provincia celebrabitur Capitulum Provinciale, eodem prorsùs modo, quo de Provincia Romana dictum eſt ſuperius. Præterea menſe Aprili immediatè ante Capitulum Generale habebitur in Italia Congregatio, ſeu Conventus loco, & tempore per Vicarium Generalem deſignatis, in qua Congregatione vocem habebunt idem Vicarius Generalis cum ſuis Definitoribus, duoque Provinciales cum uno à qualibet Provincia Diſcreto, qui ſimul Vicarium Generalem, & Definitores eligent, & ea tractabunt, quæ ad bonum Provinciarum Italarum gubernium pertinere dignoſcent. Quæ prædictæ electiones, & acta Congregationis à Capitulo Generali, vel Definitorio Generali confirmabuntur.

XVI. Si autem decurſu temporis Provincia tertia erigatur de conſenſu Capituli, vel Definitorii Generalis, ut ſupra dictum eſt, in dicta Congregatione menſe Aprili celebranda eligetur novæ Provinciæ Provincialis cum ſuis Conſiliariis; & Italiæ Definitorio per electionem adjungetur tertius Aſſiſtens, & Fundationum Promotor, itaut in prædicto Italiæ Definitorio ſint duo pro qualibet Provincia Vocales.

Hyacinthus de Benoît Procurator Generalis, qui ſupra.

Cajetanus Cioffi Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Neapolis Regno conſiſtentis, quondam Præpoſitus Generalis, & nunc Procurator electus.

Digitized by Google

Cum autem, ſicuti dilecti etiam Filii Paulus Guignard Procurator Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, in locum dilecti etiam Filii Hyacinthi de Bennoit ſuffectus, & Cajetanus Cioffi ad præſens Vicarius Generalis Provinciæ Romanæ ejuſdem Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, ipſi, præmiſſa quo firmiùs ſubſiſtant, & inviolabiliùs ſerventur, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſiderent; Nos fælici Congregationum præfatarum, ſic unitarum ſtatui, & commodis, quantum nobis ex alto conceditur providere cupientes, ſpecialemque eiſdem exponentibus Gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequend. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Congregationis particularis præfatæ Cardinalium conſilio, prædictas memorati Benedicti Prædeceſſoris binas litteras, ac in eis contenta quæcumque, nec non conventiones à Provinciis Galliæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ datas, & à Congregatione hujuſmodi Provinciæ Romanæ ſubſcriptas, ut petitur hoc modo.

Confirmantur dicta Brevia Bened. XIII. data ſub die 28. Sept. 1725. & 16. Iunii 1727. pro unione Congreg. Doctr. Chriſt. Neap. cum Avenionen., & quęcumque in eis contenta.

Quoad Tertium poſſit Provincia Romana prædicta mittere ad Capitulum Generale Vicarium Generalem, vel Provincialem, vel Aſſiſtentem ejuſdem Provinciæ Romanæ, aut etiam deputare unum ex Provinciis Galliæ prædictæ.

Approbantur allatæ conditiones, ſeu conventiones cum earũ reſpectiva mo-

Quoad Quartum Præpoſitus Generalis, ſemel ſingulis ſexenniis poſſit viſitare Provinciam Romanam per ſe ipſum, vel per alium graduatum, qui tamen ſit de dicta Provincia Romana, hæc tamen viſitatio durare non poſſit ultra ſex menſes.

Quoad

Digitized by Google

Quoad Sextum, Electio Vicarii Generalis, & Conſiliariorum notificanda erit Præpoſito Generali. *dificatione contra 3. 4. 6., & 12. caput.*

Quoad Duodecimum, Capitula præfatarum Conventionum, nil novum poſtulare poſſit ab hac Sancta Sede, quod pertineat, vel ad Univerſam Provinciam Romanam, vel ad Univerſam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ prædictæ, niſi certiorato prius illius Præpoſito Generali, vel Definitorio Generali, & omnia ſupradicta ſervanda erunt, etiamſi in Italia, novæ erigantur Provinciæ, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, vel prætendi poſſit, dicta auctoritate ſanamus.

Decernentes pariter ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſquè plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in memoratis Benedicti Prædeceſſoris binis litteris conceſſa ſunt non obſtare; nec non, quatenùs opus ſit, dictarum Provinciarum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haben-

Digitized by Google

habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volentes autem, ut præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Maii 1738. Pontificatûs Noſtri Anno octavo.

C. *Amatus Pro-Secretarius*.

SAN-

Digitized by Google

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

SUPER

Unione Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ; cum diverſis ordinationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Summus Pontifex de Doctrinæ Chriſtianæ traditione admodum ſollicitus.

APoſtolici muneris Nobis, licèt immerentibus, cum Beati Petri Cathedra, Dei voluntate commiſſi, præcipuas partes eſſe, ad conſervandam, augendamque in Fidelium animis Chriſtianæ Doctrinæ ſcientiam omni ſtudio atque opera incumbere, non ſolum ipſi ſemper agnovimus, ſed etiam, ut omnes intelligerent hanc Nobis curam, & cogitationem animo potiſſimam inſidere, pluribus editis Noſtræ hac de re ſollicitudinis argumentis, effecimus.

Ex-

Digitized by Google

Extant Apoſtolicæ adhortationes Noſtræ ad Venerabiles Fratres omnium Eccleſiarum Epiſcopos non ſemel directæ, ut eorum zelum excitaremus ad Chriſtianæ Doctrinæ pabulum Fidelibus populis majori, qua fieri poſſet, ubertate exhibendum. Nec omiſimus aptiorem ipſis methodum indicarè, qua poſſent ſinguli in ſubjectis ſibi plebibus in Fide, & Diſciplina Domini erudiendis ampliùs, utiliùſque proficere; ut videre eſt in litteris die 7. Februarii anno 1742. Pontificatûs Noſtri ſecundo datis; & in Bullario Noſtro impreſſis *Tom.* 1. *num.* 42.

Archiconfraternitatem Doctrinę Chriſtianæ in Vrbe amplificat.

Quod ſanè graviſſimum ac neceſſarium Chriſtianæ Doctrinæ opus, ut in hac Urbe noſtra proſperè, fæliciterque procederet, duobus ab hinc annis ad augendum ſtatum piæ Sodalitatis, quam Archiconfraternitatem vocant Doctrinæ Chriſtianæ, animum libenter adjecimus; conceſſaque ipſi Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis de Planctu nuncupata, ipſiuſque rebus, ac juribus amplificatis, majorem ei tribuimus facultatem, pia inſtituti ſui exercitia ad ſpiritualem Populi Romani utilitatem explendi, ut patet ex Apoſtolicis Noſtris litteris incipien. *Salutaris Doctrinæ fontes*, 7. Idus Martii Anno ab Incarn. Dom. 1745. datis.

Cogitat de ſtatu Congr. Cler. Sæcul. Doctr. Chriſt. S. Agatha de Vrbe.

Quum autem hujus Laicalis Confraternitatis originem & inſtitutionem æqualem olim, atque eandem ferè fuiſſe acceperimus cum primitiva fundatione Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in hac ipſa Urbe ſub ſan. mem. Prædeceſſore Noſtro Pio Papa V. erectæ, deindeque à fælic. record. Prædeceſſore pariter Noſtro Gregorio Papa XIII. in Domo, & Eccleſia Sanctæ Agathæ in Tranſtyberina regione conſtitutæ, quæ poſtea à prædicta Laicorum Confraternitate ſeorſim conſiſtens, in aliis Pontificiæ Ditionis Noſtræ Civitatibus propagata fuit; ex communi tàm Congregationis, quàm Confraternitatis hujuſmodi origine, & ſcopo juſtam occaſionem deſumpſimus, ut ad prædictam quoque Clericorum Congregationem Providen-

Digitized by Google

videntiæ Noſtræ oculos intenderemus; ejuſque ſtatui, ac regimini, ſi, & quatenùs oportunum viſum eſſet, Apoſtolicæ auctoritatis noſtræ interpoſitione conſuleremus.

Verùm dum univerſum hujuſmodi Congregationis ſtatum, prout in præſenti ſe habet, accuratiùs introſpicere cæpimus, non modò eam ad deplorandam decrementi conditionem redactam eſſe cognovimus, quum in tota hujuſmodi Congregatione non ampliùs, quàm triginta & octo Presbyteri & Clerici, cum ſeptendecim Laicis Fratribus, numerentur; ex quo ſanè numero impoſſibile eſt idoneos ac fructuoſos Operarios ſtatuere ac deputare in octo ipſius Congregationis Domibus, ſeu Collegiis, quæ, præter ſupradictam Domum Sanctæ Agathæ de Urbe, in convicinis Civitatibus Veliterna, Prænestina, Reatina, Privernate, Urbevetana, Signina, & in Terris Arcis Maximæ, & Ariciæ conſiſtunt; Verum etiam nullam ſpem de ipſa ad ampliorem ſplendoris gradum revocanda prudenter concipi poſſe judicavimus; quum in tota hujuſmodi Congregatione neque Domus Probationis ſeu Novitiatus, neque ſtudiorum Collegium ullum reperiatur, ſine quibus tantùm ab eſt, ut Religioſorum Ordinum incrementa ſperari queant, ut vix eorum conſervatio ſubſiſtere poſſe videatur. *Eam invenit ad deteriorem conditionem redactam, abſque ſpe majoris incrementi.*

Quare abjecta cogitatione omni de hujus Congregationis ad hujuſmodi ſtatum redactæ reformatione, ad aliud conſilium Nos convertimus, ut ſcilicet ipſam ſubjectivè uniremus Provinciæ Romanæ alterius Congregationis Clericorum pariter Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Civitate Noſtra Avenionenſi in Gallia erectæ, quæ in pluribus per Italiam Domibus ſeu Collegiis, tàm in Statu noſtro Eccleſiaſtico, quàm in Neapolitano Regno, & in Subalpinis Regionibus, ampliorem Presbyterorum & Clericorum numerum alit, qui ſimillimum profitentes Inſtitutum, erudiendis pueris, cathechizandis rudibus, ſacris Miſſionibus, aliiſque laudabilibus Chriſtianæ charitatis operibus, inceſſanti ſtudio adla- *Ideo ſtatuit ipſam ſujectivè unire Provinciæ Romanæ Cong. Aven. Clericorum pariter Sæcularium Doctrinæ Chriſt.*

Digitized by Google

borare dignoſcuntur; ut ſcilicet utriuſque Congregationis Profeſſores in unum Corpus, & in unam Provinciam coaleſcentes, ſub unius Vicarii Generalis regimine, & ſub iiſdem Regulis & Conſtitutionibus pro Congregatione in præfata Avenionenſi Civitate inſtituta ab Apoſtolica Sede approbatis deinceps vivant, & mutua ex hujuſmodi unione virtutum ac virium incrementa ſuſcipientes, uberiorem in Vinea Domini fructum deinceps valeant producere.

Abſolutio a cenſuris &c.

Itaque prædictis, aliiſque juſtis, & rationabilibus cauſis Nobis notis adducti, dilectos filios Vicarium Generalem & Clericos Sæculares prædictæ Provinciæ Romanæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Avenionen., eorumque, & aliorum, quorum reſpectivè favorem præſentes Noſtræ litteræ concernunt, ſingulares Perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; præſentemque ſtatum, & eſſentiam dictæ Congregationis Clericorum Sæcularium Sanctæ Agathæ, litteraſque Apoſtolicas recol. mem. Prædeceſſorum noſtrorum Gregorii XIII., quarum initium eſt *ad Sacram Beati Petri Sedem*, datas die 11. menſis Auguſti anni Domini 1575., quibus eidem Congregationi S. Agathæ Eccleſia & Domus in Regione Tranſtyberina conceſſæ, illiuſque ſtatuta approbata & confirmata fuerunt, cum facultate alia de novo condendi; Pauli V. in forma Brevis editas die 20. menſis Maii anni 1606., ſuper approbatione Conſtitutionum, quæ a bon. mem. Alexandro S. R. E. Cardinale Medices nuncupato ipſius Congregationis dum viveret Protectore per Decretum editum die 9. Novembris anni 1603., jam confirmatæ fuerant; item Gregorii XV. die 12. Novembris anni 1621., ac Clementis XI. die 28. Septembris anni 1716. in ſimili for-

Indicatio Litterarum Apoſtolicarũ Congr. S. Agathæ conceſſarum, cum clauſula de earũ tenoribus pro expreſſis haben.

forma Brevis reſpectivè expeditas, per quas ſibi, & Romano pro tempore Pontifici reſervarunt poteſtatem abſolvendi Profeſſores dictæ Congreg. S. Agathæ a Voto Perſeverantiæ in hujuſmodi Congreg., ſingularumque litterarum prædictarum, ac quorumcumque aliorum Indultorum, Privilegiorum, Gratiarum, & Conceſſionum Apoſtolicarum per prædictos, & quoſvis alios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam eidem Congreg. S. Agathæ forſan conceſſorum, totos & integros tenores, & quævis alia, quæ ad infraſcriptorum effectum ſpecialem, ſpecificam, expreſſam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirerent, ipſis præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes: motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia & matura deliberatione Noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine; prævia diſmembratione, & ſeparatione a dicta Congregatione Clericorum Sæcularium S. Agathæ, tam Eccleſiæ & Domus S. Pauli in Civitate Reatina exiſtentium, cum omnibus & ſingulis bonis, rebus, proprietatibus, & redditibus ad Eccleſiam & Domum eaſdem quomodolibet ſpectantibus & pertinentibus; quàm etiam centum Locorum Montium Cameralium non Vacabilium, quarum & quorum diſpoſitionem inferius conſtituemus; Univerſam Congregationem ipſorum Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ S. Agathæ, cum omnibus & ſingulis aliis ejuſdem Congregationis Eccleſiis, Cappellis, Collegiis, Domibus, Poſſeſſionibus, proprietatibus, fructibus, & redditibus, & bonis, tàm mobilibus, quàm immobilibus, juribus, & actionibus univerſis, quæcumque, quotcumque, qualiacumque, & ubicumque ſint, omnique ſacra, & profana ſupellectili, Provinciæ Romanæ alterius Congregationis itidem Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ Avenionen., Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſubiicimus, ac ſubjectivè unimus,

Diſmembratio Eccleſiæ & Domus S. Pauli Reatin., & centum Locorum Montium a Congr. S. Agathæ.

Pontifex uniẽdo ſubiicit ipsã Congr. cum omnibus Domibus &c. Provinciæ Romanę Congr. Avenionen.

Digitized by Google

& incorporamus; itaut ex nunc utrique Clerici Sæculares prædicti unum corpus unamque Provinciam Romanam ipſius Congregationis Avenionen. conſtituant, & poſt hac uni eidemque Vicario Generali, Provinciali, & Definitorio ſubſint, ac Regulas & Conſtitutiones Congregationis Avenionen., & Provinciæ hujuſmodi a Sede Apoſtolica approbatas exactè obſervent, iiſdemque privilegiis, exemptionibus, & gratiis ab eadem Apoſtolica Sede prædictæ Congregationi Avenionenſi, ac Provinciæ Romanæ, & Clericis ipſam conſtituentibus conceſſis, in omnibus & per omnia gaudeant, & fruantur. Per unionem autem, & incorporationem hujuſmodi, volumus, & expreſsè declaramus, quod omnia, & quæcumque onera, obligationes, & legata, quibus Eccleſiæ, Collegia, Domus, & bona per præſentes unita, quomodolibet obnoxia reperiuntur, ad eamdem Provinciam Romanam Congregationis Avenionen. omninò tranſeant; decernentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, Provinciam prædictam ad illorum omnium & ſingulorum plenam, integram, & omnimodam ſupportationem, ſatisfactionem, & implementum deinceps fore efficaciter obligatam.

Et in hanc trāſfert omnia onera, & obligationes &c.

Quia verò, propter unionem, & incorporationem prædictas, Clerici Sæculares Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis S. Agathæ, qui nunc ſunt, Vota ſimplicia, & juramentum, quæ Clerici Sæculares Congregationis Avenionen. Provinciæ Romanæ profitentur, explicitè emittere ac profiteri; eaſdemque Conſtitutiones & Regulas in præfata Congregatione & Provincia laudabiliter vigentes, præſertim vitæ communis, in poſterum æque & pariformiter cum ipſis Congregationis Avenionenſis Profeſſoribus obſervare debebunt; Nos, licèt Conſtitutiones & Regulæ prædictæ ferè conformes eſſe dignoſcantur cum illis, quas primòdicti Clerici in Congregatione S. Agathæ obſervare tenebantur, eos nihilominùs providæ indulgentiæ Noſtræ fa-

Abſolvit Clericos S. Agathæ a juramento perſeverantiæ.

vo-

voribus proſequi volentes, motu, & poteſtatis plenitudine paribus ipſos Clericos Sæculares, qui in prædicta Congregatione S. Agathæ juramentum perſeverandi in ipſa Congregatione, ad formam ipſius Conſtitutionum, emiſerunt, & ad aſſumendum novum ſtatum in prædicta Congregatione Avenionen. Provinciæ Romanæ minimè ſe vocari ſentiunt, a voto perſeverantię hujuſmodi, tenore præſentium, eatenùs eximimus, & abſolvimus, quatenùs infrà terminum, quem eis præfigimus, trium dumtaxat menſium a die datæ ipſarum præſentium computandorum, abſolutionis hujuſmodi beneficio utentes, à Congregatione prædicta cum effectu diſcedant, ſub Ordinariorum Locorum obedientia reſpectivè permanſuri: ſtatuentes, ut ii, qui, ut prædictum eſt, diſceſſerint, nihil ab hujuſmodi Congregatione, & Provincia, ex quacumque cauſa, vel quovis titulo, etiam Patrimonii, petere, vel prætendere ullo unquam tempore poſſint, aut valeant.

Ita tamen, ut infra trimeſtre utantur beneficio abſolutionis & nihil pretendere valeant a dicta Provĩcia.

In eos autem, qui ſeſe unioni prædictæ prompta devotione ſubiicientes, perſeverantem exhibere Deo conſtituunt in ipſa Congregatione famulatum, ampliores benignitatis Noſtræ ſignificationes edituri, ſtatuimus pariter, & mandamus, ut dilectus filius modernus Præpoſitus Generalis dictæ Congregationis S. Agathæ primum digniorem que gradum honorificum in ordine præcedentiæ immediatè poſt Vicarium Generalem dictæ Provinciæ, uſque ad proximum futurum Capitulum Provinciale, & in ipſo Capitulo Provinciali locum, vocemque, & ſuffragium habeat & obtineat; Rectores verò actuales Collegiorum, & Domorum, quæ Congregationem S. Agathę à Nobis per præſentes unitam, & incorporatam conſtituebant, dummodo ſtatim ac requiſiti fuerint, non expectato trium prædictorum menſium ſpatio, præfata Vota ſimplicia, & juramentum emiſerint, in Rectoratus hujuſmodi officio, & munere remanere, eoque, ut antea, fungi debeant in Collegiis, & Do-

Perſeverantibus benignè cõſulit.

Digitized by Google

Domibus, in quibus de præſenti deputati reperiuntur, aut in aliis, arbitrio Superioris Provincialis, & Definitorii, uſque ad prædictum proximum futurum Capitulum Provinciale; in quo tamen ex eiſdem Rectoribus tres dumtaxat, iique Profeſſione antiquiores intereſſe, vocemque activam, & paſſivam habere valeant; Cœteri verò ejuſdem Congregationis unitæ & incorporatæ Profeſſores tàm Clerici, quàm Laici, indiſcriminatim cum aliis prædictæ Provinciæ Romanæ Congregationis Avenionenſis Clericis & Laicis, præcedentiæ loco & juribus, juxta prioritatem, ſivè antianitatem emiſſæ Profeſſionis, potiantur & gaudeant; & ad aſſequenda quæcumque munia & officia Congregationis & Provinciæ; cui per præſentes ſubjecti, et incorporati remanent, habiles & capaces equè ac pariformiter omnino ſint, & eſſe debeant, perindè ac ſi in ipſa Congregatione Avenionen. Provinciæ Romanæ ſinguli Regularem Profeſſionem emiſiſſent.

Eccleſiam & Domũ S. Pauli Reatin. Piis Puellarum Magiſtris aſſignat.

De Eccleſia verò, & Domo S. Pauli Reatin., earumque bonis, & rebus, ac de centum Locis Montium a dicta Congregatione unita diſmembratis, quas, & quæ ordinationi Noſtræ ſuperiùs reſervavimus, in aliorum piorum operum utilitatem & incrementum diſponere volentes; atque in primis ad iteratas preces ex parte Ven. Fratris Antonii Seraphini Epiſcopi Reatini, & dilectorum quoque filiorum publicorum Repræſentantium ejuſdem Civitatis, pro laudabili Inſtituto Piarum Magiſtrarum inibi exiſtentium, Nobis humiliter porrectas, favorabiliter intendentes; Nos prædictam Eccleſiam S. Pauli cum Domo & Horto ibi annexis, eiſdem Piis Puellarum Magiſtris in dicta Civitate Reatina nunc & pro tempore exiſtentibus, quò magis laudabilibus profeſſionis ſuæ exercitiis, ab ipſius Doctrinæ Chriſtianæ Inſtituto haud prorsùs alienis, in recta atque Chriſtiana Puellarum inſtitutione & educatione, commodè atque utiliter vacare poſſint, in perpetuum donamus, concedimus,

mus, & aſſignamus: facultatem inſuper tribuentes eidem Antonio Seraphino Epiſcopo, ut ipſe, pro ſuo prudenti arbitrio, ex bonis mobilibus, ſacriſque ſupellectilibus in Eccleſia & Domo prædictis exiſtentibus, congruam portionem Piis Puellarum Magiſtris præfatis, prout eiſdem opus eſſe noverit; reliquam verò quantitatem aliis Piis Locis, juxta illorum indigentiam, auctoritate Noſtra dividat & aſſignet.

Ac nonnulla ipſius Eccleſiæ & Domus bona applicat Parochiali Eccleſiæ S. Rufi.

Quia verò, ſicut accepimus, præfati Clerici Sæculares Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis S. Agathæ, præter Eccleſiam, & Domum prædictas, alia quædam bona ſtabilia in dicta Civitate Reatina, ſive illius Territorio, poſſidebant, annui redditus quinquaginta circitèr ducatorum auri de Camera, cum onere annuæ perpetuæ celebrationis plurium Miſſarum, necnon Sanctiſſimi Sacramenti omnibus Sabbathi diebus, atque inſuper ſemel in anno pro Oratione quadraginta Horarum, publicæ Fidelium adorationi ſolemniter exponendi: Nos humilibus inſtantiis publicorum Repræſentantium prædictorum etiam in hac parte benignè annuentes, omniumque & ſingulorum bonorum hujuſmodi qualitates, quantitates, ſituationes, confinia, & vocabula, verioremque annuum redditum eiſdem præſentibus pro expreſſis, & individuatis habentes; illa omnia & ſingula Parochiali Eccleſiæ S. Rufi Reatin. Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, eadem Apoſtolica auctoritate itidem perpetuò applicamus, appropriamus, & incorporamus; ita quod liceat eiſdem Clericis Regularibus Miniſtrantibus Infirmis apud dictam Parochialem Eccleſiam degentibus, ſeu eorum Congregationi prædictæ, per ſe, vel alium, ſeu alios, veram, realem, corporalem, & actualem bonorum ſtabilium prædictorum poſſeſſionem propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus percipere, exigere, levare, ac in ſuos di-

ctæ-

Digitized by Google

ctæque Parochialis Eccleſiæ uſus, manutentionem, ſuſtentationem, & utilitatem convertere, Diœceſani Loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita. Volumus autem, ut ipſi Clerici Regulares Miniſtrantes Infirmis apud dictam Parochialem Eccleſiam pro tempore degentes, omnia, & ſingula prædicta, & alia ſi quæ ſint, onera præfatis bonis annexa, quorum omnium implementum ad ipſam Parochialem Eccleſiam transferimus, plenè, integrè, & omnimodè, juxta Benefactorum, & Teſtatorum ultimas voluntates, aliaſque pias diſpoſitiones, ſupportare & adimplere omnino teneantur.

De C. Locis Montium diſponit.

Ad hæc diſpoſitionem, quam Nobis itidem ſuperiùs reſervavimus, de centum Locis Montium, ut ſupra diſmembratis, proſequentes, præcipimus, & mandamus dilectis ſimiliter filiis Vicario Generali, aliiſque Superioribus Provinciæ Romanæ ſæpedictæ Congregationis Avenionen., quatenus infra duos menſes a die datæ ipſarum præſentium computandos eadem Loca centum Montium Cameralium non vacabilium, unacum fructibus a Kalendis Januarii proximè venturi deinceps decurrendis, liberè & ſine ullo vinculo reſignent, omnique juri, ſi quod ſibi, vigore præſentis unionis, in ipſis, vel ad ea acquiſitum fuiſſe forſan prætendi poſſet, omnimodè renuncient, pro rata nimirùm Locorum octoginta ad favorem Collegii SS. Blaſii, & Caroli de Urbe, a Catenari nuncupati, Clericorum Regularium S. Pauli, pro reliqua verò rata viginti Locorum hujuſmodi ad favorem Eccleſiæ S. Jacobi a Scoſſa Cavalli nuncupatæ. Quocirca dilecto quoque filio Adminiſtratori Generali Locorum Montium ſimili modo mandamus, ut præſentium litterarum vigore, non requiſito alicujus Judicis mandato, octoginta Loca prædicta cum fructibus a prædictis Kalendis Januarii decurrendis, & quidem libera ab omnibus, & quibuſcumque etiam piorum Legatorum obligationibus & oneribus, quæ a præfata Congregationis Avenio-

Videlicet 80. aſſignat Collegio SS. Blaſii, & Caroli ad Catenarios.

Reliqua verò 20. Eccleſiæ S. Jacobi a Scoſſa Cavalli.

nionenſis Provincia in poſterum ſupportanda, & implenda fore jam ſupra decrevimus, in faciem & creditum dicti Collegii transferat, & convertat; reliqua verò viginti Loca hujuſmodi a quibuslibet oneribus & obligationibus ſimiliter libera, convertat & transferat in faciem Eccleſiæ prædictæ S. Jacobi in Civitate Leonina exiſtentis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum Filialis, cum reſervatione tamen omnium fructuum eorundem viginti Locorum dilecto filio Primicerio Archiconfraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti in eadem Eccleſia inſtitutæ ex numero Canonicorum præfatæ Baſilicæ electo, ejuſque Succeſſorum in perpetuum ex eodem cætu eligendorum, ad effectum videlicet, ut ipſe pro tempore exiſtens Primicerius eoſdem fructus a dictis Kalendis deinceps decurrendos Vicario dictæ Parochialis Eccleſiæ Sancti Jacobi, pro exercitio curæ Animarum illius Parochianorum per ipſius Baſilicæ Capitulum & Canonicos ad nominationem dictæ Archiconfraternitatis amovibiliter ad nutum nunc & pro tempore deputato, abſque alicujus cura integrè perſolvat, vel perſolvi faciat. Ideoque idem Generalis Adminiſtrator conſuetas litteras patentes, juxta ordinationem noſtram hujuſmodi, faciat expediri. Nos enim Collegii, & Vicarii prædictorum indigentia fide dignis relationibus intellecta, volentes utrique de opportunæ ſubventionis auxilio providere, eidem Collegio prædicta Loca octoginta cum eorum fructibus, dicto verò pro tempore exiſtenti Vicario fructus reliquorum viginti Locorum Montium in faciem præfatæ Eccleſiæ transferendorum, ut prædiximus, percipiendos, per eaſdem præſentes in perpetuum reſpectivè concedimus, aſſignamus, tribuimus, & appropriamus.

Eximit a ſolutione quidenniorum eos, quorũ favorem præmiſſa concernunt.

Poſtremò, quatenùs opus ſit, dictam Provinciam Romanam Congregationis Avenionenſis, Clericoſque Regulares Miniſtrantes Infirmis præfatos, nec non Collegium prædictum Clericorum Regularium S. Pauli, ac Vicarium hujuſ-

hujuſmodi, & demum quoſcumque alios, quorum favorem præmiſſa concernunt, a quacumque ſolutione annatarum & quindenniorum, ad quas, & quæ ratione unionis, applicationum, appropriationum, & incorporationum prædictarum, aliorumque præmiſſorum, reſpectivè teneri, & obligatos eſſe dici poſſet, ac a quacumque obligatione deſuper Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, & illius Officialibus facienda, penitùs eximimus, & totaliter liberamus; atque ad annatas, & quindennia hujuſmodi ſolvenda, & ſe deſuper obligandum, nullatenùs teneri; neque ad id per Cameram, ſeu illius Officiales prædictos, aut alios quoſcumque, ullo unquam tempore cogi vel compelli, & ob non ſolutionem, vel obligationem hujuſmodi a quoquam quovis prætextu, colore, vel ingenio moleſtari, aut inquietari ullatenùs poſſe, aut debere, volumus, pariter, atque decernimus.

Clauſula pro præmiſſorũ firmitate.

Præſentes quoque litteras, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore, ex quocumque capite, vel ex quacumque cauſa, etiam quantumvis juridica, & legitima, etiam ex eo, quod Clerici Sæculares Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Sanctæ Agathæ, & quicumque alii in præmiſſis jus, vel intereſſe habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, ſubjectioni, unioni, & incorporationi hujuſmodi, aliiſque præmiſſis non conſenſerint, nec ad id vocati, citati, & auditi, neque cauſæ propter quas eædem præſentes emanaverint, adductæ, aut ſufficienter verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex quocumque alio prætextu, colore, & capite, etiam in corpore juris inclauſo, ac etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, formali, ſubſtantiali, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad viam & terminos

Digitized by Google

minos juris, vel Privilegiorum, & Indultorum Congregationi a Nobis ſuperiùs unitæ, & incorporatæ, illiuſque Superioribus, & Perſonis quibuſcumque quomodolibet forſan conceſſorum reduci, aut in jus, vel controverſiam vocari, ſeu adverſus eaſdem præſentes aperitionis oris, & reſtitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu intentari poſſe; ſed eas ſemper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet ſpectat & pertinet, ac ſpectabit & pertinebit in futurum, in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervari: ſicque, & non aliter, per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, alioſque quoslibet quavis auctoritate aut poteſtate fungentes, aut functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, & ſi ſecùs ſuper præmiſſis, aut illorum aliquo a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane motu pari decernimus.

Comiſſio Reverendiſſimo Card Urbis Vicario tamquam Judici Executori.

Quocirca dilecto filio noſtro Ioanni Antonio tituli Sanctorum Silveſtri, & Martini in Montibus S. R. E. Presbytero Cardinali Guadagni nuncupato, Noſtro & pro tempore exiſtenti Romani Pontificis in Urbe, ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus Generali, per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, quatenùs ipſe per ſe, vel per alium, ſeu alios, eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictæ Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ Avenionen. Provinciæ Romanæ, illiuſque Superiorum Provincialium, fuerit requiſitus, ſolemniter publicans. eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio

 aſſi-

aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra ſubjectionem, & unionem, & incorporationem hujuſmodi, aliaque præmiſſa, plenarium & integrum effectum omninò ſortiri, eaque ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiter obſervari, ipſamque Congregationis Avenionenſis Provinciam prædictam eorum commodo & effectu pacificè frui & gaudere: non permittens eam deſuper a quoquam quomodolibet impediri, moleſtari, inquietari, vel perturbari; contradictores quoslibet, ac præmiſſis non parentes, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Derogatio contrariis.

Non obſtantibus Noſtris, & Cancellariæ Aooſtolicæ Regulis de unionibus committendis ad Partes, & de exprimendo in eis vero annuo valore, nec non de non tollendo jure quæſito, ac poſtremi Lateranenſis Concilii uniones, & applicationes perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis, fieri prohibentis, nec non ſingulis ſuperiùs memoratis litteris Prædeceſſorum noſtrorum Gregorii XIII., Pauli V., Gregorii XV., & Clementis XI., aliiſque ejuſdem Pauli V. litteris in eadem forma Brevis datis die ſexta Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptimi; item Pauli II., Pauli IV., Pii V., & Sixti etiam V., aliorumque Romanorum Pontificum, annatas, & quindennia Cameræ, & Cancellariæ noſtris in unionibus & applicationibus ſolvi præcipientium, nec non Pii IV. de gratiis intereſſe ejuſdem Cameræ quomodolibet concernentibus in ipſa Camera infrà certum tunc expreſſum tempus inſinuandis & regiſtrandis, ac Bonifacii VIII. de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò non ultra tres aliquis auctoritate præſentium ad Iudicium trahatur, aliiſque quibuſvis etiam in Provincialibus, & univerſalibus Conciliis editis, vel edendis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus

Digitized by Google

nibus Apoſtolicis, dictæque Congregationis Sanctæ Agathæ per præſentes unitæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet forſan conceſſis, approbatis, & innovatis, nec non quibuſcumque piorum Oblatorum, aut Teſtatorum voluntatibus & diſpoſitionibus; quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, cauſas, formas, & occaſiones præſentibus pro plenè & ſufficienter, ac de verbo ad verbum inſertis, expreſſis, & ſpecificatis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè, ac pleniſſimè, & latiſſimè, motu, & poteſtatis plenitudine paribus, harum ſeriè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cœteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem.

Fides præſtanda tranſumptis.

Volumus autem, quod ipſarum præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in judicio & extra ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, diſmembrationis, unionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, conceſſionis, aſſigna-

gnationis, ſtatuti, mandati, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Pont. An. VIII. die 15. Decembr. 1747.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, decimo octavo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno octavo.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

V I S A

de Curia J. C. Boſchi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione decima, die verò decima ſexta Decembris, Pontificatus autem SSmi in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia PP. XIV. anno octavo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Aciæ Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Romolatium Apoſt. Curſ.

Horatius Mugnaini Mag. Curſ.

INDEX

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX

BREVIUM APOSTOLICORUM

Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ.

BReve Clementis VIII. Datum die 23. Decembris anno 1597.
Pro Erectione, Gubernio, & Privilegiis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ. Pag. 3

Br. Pauli V. Datum die 11. Aprilis an. 1616.
Pro Unione Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ cum Somaſchis. 8

Br. Gregorii XV. Datum die 11. Iunii an. 1621.
Pro Facultate docendi publicè in Collegiis. 14

Br. Innocentii X. Datum die 30. Iulii an. 1647.
Pro Diſſolutione unionis, & Statu Congregationis in poſterum. 16

Br. Innocentii X. Datum die 30. Auguſti an. 1652.
Pro Explicatione Brevis, anno 1647. 23

Br. In-

INDEX

Br. Innocentii X. Datum die 16. Novembris an. 1654.
Pro Explicatione & executione Brevium anno 1647., & 1652. 27

Br. Alelexandri VII. Datum die 28. Iunii an. 1656.
Pro Prorogatione Superiorum ad ſex menſes. 30

Br. Alexandri VII. Datum die 5. Martii an. 1657.
Pro Convocando Capitulo Generali per Eminentiſſimum Cardinalem Grimaldum. 33

Br. Alexandri VII. Datum die 19. Aprilis an. 1658.
Pro Facultate docendi publicè in Collegiis in Statu præſenti Congreg. 36

Br. Alexandri VII. Datum die 26. Auguſti an. 1659.
Pro Votis ſimplicibus, & pro Ordinandis. 39

Br. Alexandri VII. Datum die 4. Februarii ann. 1660.
Pro Anticipanda celebratione Capituli Generalis ejuſdem anni. 45

Br. Alexandri VII. Datum die 12. Martii an. 1661.
Pro Exemptione à Parochorum juriſdictione. 48

Br. Alexandri VII. Datum die 20. Iulii an. 1660.
Pro Validitate Capituli Generalis ejuſdem anni. 50

Memoriale Alexandro VII. præſentatum
Pro Indultis, & privilegiis obtinendis. 53

Et Decretum ſuper hoc emanatum die 8. Decembris anno 1660. 55

Br.Ale-

INDEX

Br. Alexandri VII. Datum die 12. Auguſti an. 1662.
Pro Forma eligendorum Diſcretorum Vocalium Capituli Generalis. 56

Br. Alexandri VII. Datum die 25. Iunii an. 1664.
Pro Forma, & tempore celebrandi Capitula Generalia, & Provincialia. 59

Br. Clementis X. Datum die 11. Maii an. 1673.
Pro Prorogatione Capitulorum ejuſdem anni. 63

Br. Clementis X. Datum die 4. Aprilis an. 1674.
Pro Servando tempore ſolito celebrationis Capitulorum, non obſtante Prorogatione præcedentium. 66

Br. Clementis X. Datum die 6. Iunii an. 1676.
Pro Confirmatione, Interpretatione, & Ampliatione Brevis Alexandri VII. dati die 26. Septembris an. 1659 69

Br. Innocentii XI. Datum die 8. Novemb. an. 1687.
Pro Subrogandis Diſcretis Capituli Generalis per Definitorium in locum deficientium. 79

Br. Innocentii XI. Datum die 18. Auguſti 1688.
Pro Erigenda Confraternitate Doctrinæ Chriſtianæ in ſingulis Domibus. 83

Sommario delle Indulgenze conceſſe da Sommi Pontefici
All' Archiconfraternita della Dottrina Criſtiana di Roma. 86

Br. Benedicti XIII. Datum ſub die 8. Sept. an. 1725.
Pro Unione Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Neapolitanæ cum Congregatione Avenionenſi ejuſdem nominis. 88

Br. Be-

Digitized by Google

Br. Benedicti XIII. Additionale Brevi Unionis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Neapolitanæ cum Avenionenſi, ab eodem Pontifice factæ, dat. ſub die 16. Iun. 1727. 100

Br. Clementis XII. Datum ſub die 9. Octob. an. 1736.
Quo per modum proviſionis deputatur Vicarius Generalis, & ejus Definitorium pro regimine Provinciæ Romanæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Avenionenſis. 106

Br. Clementis XII. Datum die 7. Maii an. 1738.
Pro Confirmatione quorumdam Brevium fel. r. Benedicti Papæ XIII. ſuper Unione Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Neapolitanæ cum Congregatione Avenionenſi ejuſdem nominis, & pro approbatione, ac modificatione quarumdam ſuper hac re conventionum. 109

Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Benedicti Divina Providentia Papæ XIV.
Conſtitutio ſuper Unione Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ, cum diverſis ordinationibus. 119

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Impri-

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tharſi Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Palombi Magiſter Socius Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google